STUDIA STATIANA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS MUELLER

SILESIUS.

BEROLINI

APUD RICARDUM HEINRICH

MDCCCXCIV.

REF.: PROF. DR. DE ARNIM.

AGNETAE MASCHKE

GRATI ANIMI TESTIFICANDI CAUSA.

FRIDERICUS LEO in egregia commentatione de Statii silvis, quam indici lect. Gotting. 1892/93 praemisit, vituperat eos, qui negligentiae poetae signa deprendisse sibi visi ad stili velocitatem omnia rettulerunt freti ipsius Statii verbis in praefationibus, quique illum, dum amicis versiculos denumeraret, verborum elocutionem et sensuum acumen non curasse sibi persuaserunt. Etenim ridicule arbitratur Statio imputari eum quicquam in publicum emisisse, quod non perfectum ab arte habuisset; immo non quale vituperium evitare, sed cuius generis laudem talibus verbis elicere voluerit quaerendum esse. Qua in re sic iudicat vir doctissimus: cupiisse Statium lectoribus persuadere paratam se habere facultatem ex tempore dicendi, quam facultatem Quintilianus dicat (X 7 init.) maximum studiorum fructum et velut praemium quoddam amplissimum longi laboris, ita ut et polite limateque dicere et celeriter scribere poeta in promptu habuerit. Atque similem in modum SANDSTRÖM*) in praefatione hoc tribuendum esse Statio dicit, ut eum nihil prorsus inane absurdumve, nihil sententiae suae directo contrarium, nihil rerum naturae manifeste repugnans dixisse i. e. sana mente fuisse easdemque quas ceteros homines cogitandi leges secutum esse contendat. Deinde arbitratur et latine eum locutum esse et tam aperte, ut sine interprete intellegi posset. Obscuritatis vero infamiam (p. II), qua magna sane Statius laboret, sine dubio ex eis locis exortam esse, quos cum corrupti essent explicare tamen quam emendare docti viri

*) Studia critica in Pap. Statium Upsalae 1878.

maluerint. Et tamen concedit vir doctus potuisse sane Statio quoque accidere, ut minus perspicue nonnumquam quod vellet praesertim festinans exprimeret; omnino tenebrosa et aenigmatum simili oratione delectatum esse negat quicquam se invenisse cur putet.

Sed ubi est quaeso modus et finis? Quid est minus perspicuum, quid tenebrosum et aenigmatum simile?

Videmus ut opinor fundamentum esse exstruendum ei, si quis modeste et proba mente periculum facere vult in Statianis silvis vel explicandis vel emendandis; res sane „perquam ardua est in eo poeta, qui et ingenii et artis copiis libere et audacter utitur, in hac librorum memoria, quae unius codicis et amissi unius est, cuius ne apographa quidem unum an plura olim facta sint satis constat, e quo derivati qui exstant libri vix unus alterve ita collati et publicati sunt, ut fide eorum niti possimus" (LEO l. l. pag. 12). Dolendum hoc sane est, sed sperari potest brevi in lucem prodituram esse collationem codicum praestantissimorum, cui fidem habere quaque niti possimus.

Is autem, qui fundamentum iudicii de indole et more poetae comparare sibi cupit, ne semper putet, arbitretur, opinetur, persuasum habeat, sed certis causis fretus sciat aliquid et demonstrare possit, hoc si quid video fundamentum struere potest auxilio eorum quae adhuc in promptu sunt adminiculorum. Missis enim singulis parvulisque et eis, quae aliquam ob causam dubia sunt, totus est deprehendendus poeta assidua lectione, num forte imago quaedam et hominis et poetae non fingatur, sed quasi oriatur. Nec verba tantummodo accurate inspicienda sunt et locutiones, sed etiam hoc inquirendum est, quomodo sententiae sese excipiant. Tum demum ni fallor cognoscere licebit poetam qualis sit, utrum tam bonus quam MARKLANDO visus est, an pessimus et ex omni parte contemnendus, qualem descripsit MADVIGIUS in adversariis criticis II p. 152 (SANDSTRÖM l. l. p. II). Etiam hoc cavendum est anxie, ne quod de uno carmine statuendum videtur transferamus ad alia, praesertim in hoc vario

carminum genere; homo enim et ille fuit atque obnoxius temporibus animique motibus. Vitandum quoque esse, ne modulo aliunde petito metiamur nostrum, in re levidensi testis est PEERLKAMP, homo doctissimus et rerum Latinarum peritissimus, qui tamen a vero aberravit, cum scribendum censeret silv. II 6, 1

Saeve nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis
Lugendoque modos

quae per se optima sunt, sed reicienda esse et restituendam codicum scripturam *lugendique modos* evincitur ipsius Statii verbis V 5, 60 sq.

qui dicere legem
Fletibus aut fines audet censere dolendi.

Sed ut finem praefandi faciamus et aggrediamur ad opus, non ut prorsus nova proferamus, sed verum quaeramus, quod saepius nubibus tectum iacet, initium placet capere ab libri tertii carmine tertio (III 3),*) quo de carmine in praefatione libri poeta haec scribit v. 19 sqq. *merebatur et Claudii Etrusci mei pietas aliquod ex studiis nostris solacium, cum lugeret veris (quod iam rarissimum est) lacrimis senem patrem.* Quorum verborum ex tenore apparet, ni fallor, nec commotum fuisse vehementer poetam nec toto animo adfuisse, cum carmen funderet.

Videamus primum universam carminis summam. Incipit poeta ut assolet ab invocata dea, quae cernat lugentis Etrusci pios fletus (1—7); dique hominesque adsint sacris, sed insontes castique, pater enim est, qui fletur a filio pio (8—21); gratus ille aeceptusque veniat ad inferos (22—30); poeta ipse promittit carmen solacii plenum; filius pretiosissima quaeque rogo imponat, ipse non arsura feret munera, neque enim ignotum ei est flere parentem (—42). Sequitur vitae mortui descriptio (—171) et posteaquam accuratius dolorem filii de-

---

*) cf. LOTTICH Statius' Trostgedicht an den Claudius Etruscus (Silv. III 3) mit sachlichen und kritischen Erklärungen. Prog. Hamburg 1893. et recensionem meam Berl. phil. Wochenschr. 1894 p. 40 sq.

pinxit (—204), praedicat mortuum exeunte carmine, qui filium officii non immemorem reliquerit (—216).

Qua in carminis compositione nec quicquam est quod praecipua laude dignum sit (est enim ex eo genere, quod pluribus illustravit KERCKHOFF*) nec tamen quicquam gravius vituperandum. Inquiramus nunc paullulum in singula.

Nos, inquit v. 37 sq., non arsura feremus munera, sed carmen, quo dolor tuus clarescet — repetit igitur paucis versibus interiectis quod antea dixerat v. 31 sqq.

dabimus solatia dignis
Luctibus Aoniasque tuo sacrabimus ultro
Inferias, Etrusce, seni! —

et pergit hoc modo v. 39 sqq.:

neque enim mihi flere parentem
Ignotum, similis gemui [et] proiectus ad ignes.
Ille mihi tua damna dies compescere cantu
Suadet, et ipse tuli quos nunc tibi confero questus.

In quo versiculi priores apte adnectuntur eis qui praecedunt; quid autem reliquis faciam nescire me fateor. Languidum et ieiunum est illud *et ipse tuli quos nunc tibi confero questus*; prorsus idem enim paullo ante dixit: *similis gemui;* quodsi *ille dies* i. e. ipsius patris dies mortalis suadet Etrusci damna compescere cantu, exspectamus non *et ipse tuli . . . questus,* sed aliud verbum vel compescendi vel leniendi. Certe nihil desideraremus, si duo versus illi deessent; sed ipsa verborum forma confirmatur illos esse Statii; cf. II 1,5 sq.

Cum iam egomet cantus et verba medentia saevis
Confero . . .

et v. 35

Sed confer gemitus pariterque fleamus.

Addendum aliquid est de scriptura v. 40, quem libri sic exhibent

similis gemui proiectus ad ignem.

---

*) KERCKHOFF Duae quaestiones Papinianae. dissert. inaug. Berol. 1884 p. 34 sqq.

De BAEHRENSII coniectura nihil dico; utilius videtur circumspicere num quid ex ipso Statio lucremur. Qua in re occurrunt haec:

II, 1, 24 sq. ... *ignemque haurire parantem*
Vix tenui similis comes offendique tenendo

II, 1, 32 sqq. *piis cecini solatia natis*
Et mihi, cum proprios gemerem deiectus ad ignes
(Quem, natura!) patrem.

(sic ex WALLERI*) coniectura verissima, codd. *defectus*).

Theb. I 404 *similisque notos dequestus et imbres.*

Quibus ex locis inter se comparatis hoc videtur aliqua cum probabilitate concludi posse nostro loco scripsisse poetam *similis gemui proiectus ad ignes;* non enim *similes* opus esse videtur, quia ex verbis *flere parentem* dubium non est, quales ignes intelligendi sint.

Inde a versu 111 haec leguntur

Quis sublime genus formamque insignis Etruscae
Nesciat? Haud quamquam proprio mihi cognita visu,
Sed decus eximium famae par reddit imago
Vultibus et similis natorum gratia monstrat.
Nec vulgare genus; fasces summamque curulem
Frater ......

Haec quoque minus limata sunt; nam verba *nec vulgare genus; fasces* .... ut novum quoddam posita sunt, quasi antea nulla generis mentio facta sit; et tamen scripsit v. 111 *quis sublime genus .. Etruscae nesciat?* Nec falli me sensu testis MARKLANDUS est, qui scribendum esse priore loco censebat *sublime decus*, quod sane aptius esset. Nihil autem mutandum, sed negligentia poetae agnoscenda est.

Totam hanc de sublimi uxoris genere partem his concludit verbis v. 119 sqq.

Sic quicquid patrio cessatum a sanguine, mater
Reddidit, obscurumque latus clarescere vidit
Conubio gavisa domus.

---

*) WALLER excursus criticus in Stat. silvas. diss. inaug. Vratisl. 1885.

De sententia nulla dubitatio; sed quid significat *obscurum latus?* Videtur in vim affinitatis vel generis abiisse; cf. praef. libri V v. 13: *praeterea latus omne divinae domus semper demereri pro mea mediocritate conitor.* silv. V 1, 186 sqq.

tu limite coepto
Tende libens sacrumque latus geniumque potentem
Inrequietus ama.

Quo referendum est *conubio*? Mihi quidem *gavisa domus* idem videtur esse atque *felix domus,* ut *conubio* coniungendum sit cum clarescendi verbo; sed ambigua res est et demonstrare videtur satis celeriter poetam haec conscripsisse.

Est quoque in proximis, quod quamquam criticis curam non fecit, tamen accurate legenti dubitationem non movere non potest. Etenim pergit poeta

nec pignora longe;
Quippe bis ad partus venit Lucina manuque
Ipsa levi gravidos tetigit fecunda labores.

Quid est enim *fecunda Lucina?* Non communi sensu ac vi adiectivum hoc loco positum esse quivis videt, nec tamen potest significatione ampliore intellegi, qua Nilus fecundus vocatur a Plinio; an eo sensu accipiendum putamus, quo Ovidius dixit de lupercis *fecundae verbera dextrae?* Quo posito usus esset poeta adiectivo minime inepto, sed non accomodato huic loco. Numquid peccatum sit a librariis, viderint alii.

Sed ad negligentiae, quam crimini damus poetae, vestigia revertatur oratio. Etenim cum de negotiis verba faciat, quibus occupatus Etruscus fuerit, haec scribit v. 89 sqq.

Quicquid ab auriferis eiectat Hiberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris
Verritur, aestiferi quicquid terit area Nili,
Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi,

Et Lacedaemonii pecuaria culta Galesi
Perspicuaeque nives Massylaque robora et Indi
Dentis honos: uni parent commissa ministro,
Quae Boreas quaeque Eurus atrox, quae nubilus Auster
Invehit: hibernos citius numeraveris imbres
Silvarumque comas.

quae primo obtutu minime videntur illepida. Non reprehendam, quod communi apodosi *uni parent commissa ministro* scil. *quicquid* e. q. s. novum adnectitur enuntiatum relativum; demus veniam; non potest sibi satisfacere in laudando. Sed accuratius verba ipsa inspicienti primum hoc dubium non est, quin Horatiana illa (od. I 1, 10) *quidquid de Libycis verritur areis* imitatus sit noster verbis *quod messibus Afris verritur aestiferi quicquid terit area Nili*; et hoc quoque intellegi nostro exemplo potest, quomodo soleat exprimere, quae priorum poetarum memoria tenet; incidit enim studio variandi et exaggerandi in tumidum genus dicendi et quod subtilitate caret.*) Nam Horatii verba et dilucida sunt et poeta perquam digna; tota autem imago exstinguitur, cum dicat *quidquid m e s s i b u s verritur*, nec melior fit locutio additis quae sequuntur verbis *quicquid Nili aestiferi area terit.* Nam terendi verbo satis demonstratur *area* eodem sensu positum esse, quo Horatius locutus erat, nec debere ampliore

---

*) Quamobrem non crediderim Statii manum restituisse Bentleium, cum v. 174 scribi iuberet *qualia nec Siculae m o d u l a n t u r carmina rupes* pro eo quod in libris est *moderantur.* Durum sane illud moderandi verbum coniunctum cum *carmina*, sed eiusdem Horatii verborum memor esse videtur scil. od. I 24, 10

Quid si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem?

quae in illum modum superare cupiit. Et similia sunt, quae de filia dicit III 5, 64 sq.

seu voce paterna
Discendum Musis sonat et m e a c a r m i n a f l e c t i t

locutionem Tullianam *sonum flectere* exaggerando imitatus. cf. V 1, 119 sq.

fovet anxia (scil. Priscilla) *curas*
Coniugis hortaturque simul flectitque labores.

vi intellegi, qua idem sit atque *regio.* Illa autem nominis significatio non quadrat ad *aestiferi Nili.* Et cur *aestifer* Nilus vocetur, cognoscitur ex Theb. IV 704 sqq.

Sic ubi se magnis refluus suppressit in antris
Nilus et Eoae liquentia pabula brumae
Ore premit, fumant desertae gurgite valles
Et patris undisoni sonitus exspectat hiulca
Aegyptus, donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris magnumque inducat messibus annum.

cf. VIII 358 sqq.

Qualis ubi aversi secretus pabula caeli
Nilus et Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes septemque patentibus arvis
In mare fert hiemes; penitus cessere fugatae
Nereides dulcique timent occurrere ponto.

Quid velimus hac disputatione elucere? Non limatam esse orationem et ita non limatam, ut sibi permiserit poeta, quod Horatius, quem unum affero, nunquam sibi permisisset. Primo obtutu eique qui leviter perstringit quae leviter scripta sunt omnia plane currere videntur; sed vehementer cavendum est, ne quis asperiore lima accedat; sunt certe non pauca, quibus se praestet Statius vere poetam, sed quidquid inest fucati nitoris statim evanescit, ut fieri solet in vasis male auratis. At non credibile est emisisse quicquam Statium, quod non perfectum habuerit ab arte (cf. Leo l. l.); cur non? An erat poeta tum cum haec scripsit homo novus et ignotus? Immo gratus erat et notus iamdudum Thebaide. Peritissimus etiam erat cum hominum naturae tum eorum hominum, quibus potissimum talia scribebat; sciebat enim quicquid scripsisset laudari ab amicis omnia. Ut igitur obtrectatoribus ansam demat reprehendendi, celeritatem scribendi excusat et veniam petit. Fuit nimirum tum ut nunc est in litteris: si modo sis admodum singularis, novorum inventor vocabulorum, si modo proferas, quod tui proprium et peculiare videatur esse paucorum fortasse iudicio, quos

tamen sectatur vulgus: legeris, in ore et admiratione omnium eris, veniam tibi dabunt. Hinc et tum et nunc tumidum illud dicendi genus, hinc studium illud novandi et exaggerandi. Ut redeamus ad propositum, quis admiretur verba v. 89 sq. *quidquid ab auriferis eiectat Hiberia fossis?* Acherontem intellegimus liventes harenas eiectantem (Theb. IV 522), Hiberiamne ab auriferis fossis aliquid eiectantem item? Et tamen dubitari nequit, quin ipsius Statii verba legamus. Sic, quae II 1, 181 sq. scripta sunt

Sic et in anguiferae ludentem gramine Lernae
Rescissum squamis avidus bibit anguis Opheltem

ita non placuerunt MARKLANDO, ut *rabidus tulit anguis* reponendum censeret. Ne ego quidem quidquam pulchri sentire possum, sed *avidus bibit anguis Opheltem* poetici aliquid spirare et quasi rem ante oculos ponere mihi videntur. ut omnino non sit cur ista verba a Statii more abhorrere credamus. Talium memores quid iudicabimus de eiusdem carminis (II 1) verbis 171 sqq.

Nunc torvus pariter vestes et pectora rumpis
Dilectosque premis visus et frigida libas
Oscula . . . ?

Sic scribi iussit BENTLEIUS pro eo quod in libris est *lambis* collato loco Theb. X 61 sqq.

Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis,
Expers conubii et timide positura sororem,
Lumine demisso pueri Jovis oscula libat
Simplex et nondum furtis offensa mariti.

eumque secuti sunt omnes editores, ut periculum sit, ne ridiculus videatur is qui contra dicere aliquid aut dubitationem movere audeat. Et tamen inspiciamus verba iudicio non praeoccupato paulo accuratius. Illo Thebaidos loco desponsa Tonantis lumine demisso pueri Iovis oscula libat i. e. magna cum cunctatione, in quo libandi verbum — i. e. leniter tangendo osculari — ita suum locum habet, ut nihil potuerit aptius aut rei accomodatius a quoquam poni; at nostro loco torvus Melior inducitur vestes et pectora rum-

pens, dilectos visus i. e. oculos premens, frigida oscula — libans? immo vero cum vi quadam lambens iterum iterumque. *oscula* autem hoc loco idem significat (scil. os) quod III 3, 176 sq.

heu quantis lassantem brachia vidi
Planctibus et prono fusum super oscula vultu!

Pulchrum esse verbum et aptissimum rei quis audeat affirmare nisi qui sensu poetico omnino caret? Sed posse poetam tali modo tumescentem fundere orationem exemplis aliquo modo probari confido supra allatis et voluisse eum exprimere illud quod addidi *iterum iterumque* confirmatur III 3, 18 sq.

sanctamque parentis
Canitiem spargit lacrimis animaeque supremum
Frigus amat.

Paululum aliter figurata oratione dicit Theb. III 711

Illius umenti carpens pater oscula vultu.

Eiusdem generis verba leguntur II 6, 60 sqq.

O quam divitiis censuque exutus opimo
Fortior, Urse, fores! si vel fumante ruina
Raptassent dites Vesuina incendia Locros
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus . . .

Raptassent de MADVIGII coniectura scribitur, cui quamquam facile se intellexisse dicit permulta sibi Statium permisisse quae apud alios incredibilia viderentur (advers. critic. II p. 152) tamen hoc loco *ructandi* verbum, quod codices exhibent, indignum videbatur poeta. Et concedendem sane est ructandi verbum nostro sensu displicere posse, sed quid probatur quaeso sensu? An quisquam nostrum pulchra et poetica iudicabit esse, quae ut eveniant optat exeunte epithalamio I 2, 268 sqq.

Acceleret partu decumum bona Cynthia mensem,
Sed parcat Lucina precor; tuque ipse parenti
Parce, puer, ne mollem uterum, ne stantia laedas
Pectora . . .?

An haerebimus cum criticis omnibus in eiusdem epithalamii v. 31 sqq.

Tu tamen attonitus, quamvis data copia tantae
Noctis, adhuc optas permissaque numine dextro
Vota paves . .?

Nam epithalamia minime pudica esse nota res est et Statium pudiciorem esse in talibus rebus quis credat perlectis eis quae modo attulimus? De sententiae autem forma cf. Achill. I 792 (ed. Kohlmann) sq.

Non alias unquam tantae data copia famae
Fortibus . . . .

Ut redeamus, concedendum item hoc est non alienam esse a re ipsa orationem; cernere enim oculis videmur nobis *incendia ructantia* i. e. eructantia *dites Locros fumante ruina* et sententia simplex haec est: etiamsi terra devoraret Locros, paterere serena fronte. *Vesuina* autem non nominis proprii loco positum est, ut significet Vesuvii incendium, sed appellativi, ut sensus hic sit: etiamsi tale incendium quale Vesuinum fuit .... Sic rectius interpretari nos verba opinamur quam QUECKIUM, qui in praef. editionis suae p. XVII iubet intellegi praedium Ursi Locros vocatum scil. prope Vesuvium montem. Immo intellegenda est notissima urbs Magnae Graeciae (quod recte statui adiectivum *dites* docet), ubi illud praedium situm erat. FRIEDLÄNDER quoque deceptus est loco, cum scribat (Sittengeschichte Roms III[6] p. 485) *Flavius Ursus . . . war reich und Besitzer von Gütern am Vesuv, bei Pollentia etc.* immo *bei Locri, Pollentia . . .*

Accurate autem et cum cura legenti dubium non est, quin plura eius generis exempla occursura sint, sed nunc revertamur unde profecti sumus ad carmen tertium libri tertii (III 3), quod, ut Horatii verbis utar, non multam diem multamque lituram coercuisse atque praesectum deciens non castigavisse ad unguem exemplis allatis velimus concedatur. Quo posito quid iudicabimus de versibus 104 sqq.

Quae divum in vultus igni formanda liquescat
Massa, quid Ausoniae scriptum crepet arce monetae

scil. *vigil animique sagacis evolvit Etruscus* v. 98 sqq., in quibus emendandis multum se torserunt critici (cf. LOTTICH l. l. ad v.); exaratum enim in libris est pro *arce*, quod BURMANNUS proposuit, *igne*. Ansam autem dedit coniecturandi ignis vox varia forma bis repetita in duobus versibus sese excipientibus, id quod non tribui debere poetae arbitrati sunt viri docti. Sed primum ni fallor sententia ipsa excutienda est, num quid fortasse insit, quod repugnet reliquis. In quo ego me fateor nihil potuisse invenire. *Was von Ausonischer Münze im Feuer geprägt klingen soll* prorsus apte poeta dicit pro sententia simplici: Etruscus decernit, quantum Ausoniae monetae percutiendum sit. Quid? quod supervacaneum esse *igne* contendunt? E quavis pagina carminis quodquod est complura exempla afferre me posse promitto, ubi disputari potest num hoc vel illud nomen omnino sit necessarium. Sed seriam rem agimus. Haeserunt viri docti in eo, quod priore versu *igni* scriptum est, insequenti *igne*. Ac primum quidem posuisse Statium eadem verba in versibus, qui sese excipiunt, iam HANDIUS multis probavit exemplis in commentario suo ad I 2, 147.*) Deinde usum esse Statium utraque ablativi forma eiusdem nominis apparet ex Theb. I 387, ubi *imbri* et eiusdem libri v. 438, ubi *imbre* scripsit. Videmus ut opinor metricis causis permotum Statium vel potius necessitate coactum tum hac tum illa forma uti, et ut hoc facile concedo non polite elatam esse sententiam eam, ubi idem nominis casus bis legatur forma variata, sic nego quicquam esse mutandum. Nemo — hoc persuasum

---

*) Unum huc exscribo II 1, 47 sqq. ubi pueri defuncti virtutes sic praedicantur

Et mixtae risu lacrimae penitusque loquentis
Hyblaeis vox mixta favis? cui sibila serpens
Poneret et saevae vellent servire novercae.

An *vox tincta Hyblaeis favis* melius est pro eo, quod vult intellegi *mellea vox?* et *cui* referendum esse ad vocem illam melleam probatur V 2, 80 sq.

qui voce potes praevertere morsus
Serpentum atque omnis vultu placare novercas.

mihi est — offensus esset *igne*, nisi antea scriptum esset, quod item alicui superfluum videri potest, *igni*.*)

Addere placet quaedam ex eodem carmine, quae meo iudicio aut non recte scripta aut prave explicata adhuc sunt. Versum autem 17 sq.

tenet ecce seniles
Leniter implicitus vultus

varie exhibent libri *implicitor* vel *implicitos*; neque recte iudicavit de ea re LOTTICH l. l. p. 4 cum *implicitos* in textu poneret. Veram esse Italorum coniecturam *implicitus* probatur exemplis ex Statio ipso petitis, ut Theb. X 718 sq.

sic colla manusque tenebat
Implicitus

Theb. X 313 sq. *ferus occupat Actor*
Implicitum fratri Thamyrin.

silv. II 1, 45 sq. *blandis ubinam ora arguta querelis*
Osculaque impliciti vernos redolentia flores

cf. quae similia sunt III 3, 177 *et prono fusum* (scil. vidi) *super oscula vultu.*

V. 35 sqq. *ferat ignis opes heredis et alto*
Aggere missuri nitido pia nubila caelo
Stipentur cineres: nos non arsura feremus
Munera

et integra sunt nec recte explicata a novissimo interprete (LOTTICH l. l. p. 6), qui *cineres* iubet vi *mortui* positum esse, ut mortuus stipatus i. e. cinctus sit alto aggere.**)

---

*) cf. Auson. Mos. 280. Ille hamis et rete potens . . et Hosium (die Mosella des Dec. Magnus Auson. Marb. 1894) a. l.

**) Non nego *cineres* hoc significare posse; sic enim loquitur noster Theb. VI 73

Muneraque in cineres annis graviora feruntur

silv. II 4, 33 sqq. de psittaco Atedii Melioris

at non inglorius umbris
Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo
Et tenues Arabum respirant gramine plumae
Sicaniisque crocis; senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phoenix felicior ignes.

quibus in verbis novum videor mihi deprehendisse exemplum scribendi

Quod fieri hoc loco non posse apparet ex verbis quae adnectuntur *missuri nitido pia nubila caelo*, quae de mortui cinere non intellegerem. Immo *pia nubila* sunt pietatis

---

sive velocitatis sive negligentiae. *nec* enim particula non coniungenda est cum *fessus*, cui apposita est, sed cum *felicior*. Sententia autem haec est: et non felicior scandit odoratos ignes Phoenix fessus senio inerti. cf. quae huius usus particulae exempla affert Leo l. l. p. 19, quibus addo ex Thebaidis IX 376 sq. *hoc tibi semidei munus tribuere parentes*
Nec mortalis avus = et immortalis
VIII 258 *Nec turbata feris tractavit pocula pinnis*
VI 99 (106) *acclinant . . . nec inhospita vitibus ulmus*
Eodem modo ni = si non posuit Theb. IX 445.
Ni mortalis ego et tibi ductus ab aethere sanguis
Sensus enim hic est: hoc vel hoc fiet, si (εἴγε) et ego immortalis sum et tibi . . .

Et ne si quis malit quidem *nec* ita accipere ut sit *ne-quidem*, debebat poeta particulam adnectere adiectivo, sed nomini *Phoenix*. *Nec* autem = *ne-quidem* usitatissimum est apud nostrum: cf. II, 2, 56 sq.
ubi nunc nemora ardua cernis
Hic nec terra fuit.
I 1, 26, 40; III 3, 59; Theb. VI 160; VII 321 sq.; Ach. I 639. Et Pers. V 172. *Quidnam igitur faciam? Nec nunc, cum accerset et ultro*
Supplicet, accedam? 'si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc.'
qui Horati verba imitatur (sat. II 3, 259 sqq.), qui ipse Terentianis utitur verbis notissimis ex Eunucho ineunte petitis; neque dubito, quin Horatius quoque scripserit v. 262 *nec nunc, cum me vocat ultro, accedam?* quamquam plurimi editores inde a Bentleio *ne*, quod in libris optimis est, in textu posuerunt; cf. Kiesslingii edit. ad l.

Neque autem = *ne-quidem* reponendum videtur alio loco, qui non recte meo iudicio circumfertur in libris. Etenim in balneo Claudii Etrusci (I 5) incipit Statius suo more ab enumerandis eis numinibus, quae non advocat ut sibi adsint
Non Helicona . . pulsat chelys . . plectro
Nec lassata voco . . . numina, Musas;
Et te Phoebe . . et te dimittimus, Euhan
. . . . . . alios poscunt mea carmina coetus
Naidas . . . regemque corusci . . . Ignis . . . Elicuisse sat est
Interposita sunt, quae eidem atque priora debent inservire sententiae scil. non voco (cf. I 4, 19 sqq. *Ast ego nec Phoebum, quamquam mihi surda sine illo Plectra, nec Aonias decima cum Pallade divas Aut mitem Tegeae Dircesve hortabor alumnum:) tu quoque muta ferae, volucer Tegeaee, sonorae Terga premas,* quae tamen verba significant, quod prorsus contrarium est. Scribendum est *tu neque muta . . . .*

nubila, quae mittant nitido caelo cineres et stipentur *„sie möge sich häufen die Asche infolge des hohen Aufbaus“ (alto aggere)*; sic recte interpretatur LOTTICH; agger est enim copia earum rerum, quae conferuntur ab amicis, quod ut probaret poterat uti vir doctus exemplo Statiano II 1, 159

Quod tibi purpureo tristis torus aggere crevit

et utilia sunt Theb. VI 54 sqq., ubi Archemori funus latius describitur, quibus quid discriminis intercedat inter *torum* et *rogum* potest discerni. Sententia autem universa haec est: tu, Etrusce, largus merge rogis, quae pretiosissima sunt; ferat i. e. accipiat ignis opes (cf. Theb. VI 186 (201) *ferat haec, quae dignior, umbra)*, et stipentur cineres alto aggere mittantque pia nubila caelo. Stipandi autem verbum ex eis est, quae amplecti videtur noster, cf. II 4, 16 sq. III 1, 85 sqq. Theb. III 394 sqq. V 101 IX 244 sq. silv V 1, 210.

Nos, pergit poëta, *non arsura feremus* i. e. afferemus *munera venturosque tuus durabit in annos dolor me monstrante*, in quibus *que* adversativam vim habet = *at „aber dafür“*. Ne hic quidem usus novus est aut Statio proprius, sed saepius videtur *que* hac vi posuisse. Velut in nostri carminis v 185 sq.

Nec frueris tantique orbatus muneris usu
Ad manes, ingrate, fugis.

II 1, 154 sqq.

Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta iacentis
Exedit puerile decus manesque subivit
Integer et nullo temeratus corpora damno,
Qualis erat.

II 6, 52 sq. *tecum tristisque hilarisque nec unquam*
Ille suus vultumque tuo sumebat ab ore.

I 1, 106.

Explicative autem positum est III 3, 14

Si cui corde nefas tacitum fessique senectus
Longa patris

i. e. si pater, qui fessus est ideoque cura eget, diutius vixit.

V. 43 sqq. vitam defuncti narraturus non esse illum nobili gente ortum, sed fortunam dicit supplevisse genus

Non tibi clara quidem, senior, . . . nec proavis demissum stemma, sed ingens

cf. IV 6, 90 sq. *non aula quidem Tirynthia, nec te . . . sed casta . .*

ut eluceat, quam prave quamque leviter mutata sint a BAEHRENSIO quae sic traduntur in libris V 5, 10 sq. *non de stirpe quidem, nec qui . . . non fueram genitor, sed cernite . .**)

V. 48 pergit poeta: *nec pudor iste tibi* scil. quia famulatus es:

quid enim terrisque poloque
Parendi sine lege manet? vice cuncta reguntur
Alternisque premunt. Propriis sub regibus omnis
Terra; premit felix regum diademata Roma;
Hanc ducibus frenâre datum; mox crescit in illos
Imperium superis. Sed habent et numina legem.

Sententia clara et dilucida est, verba non item. Ego quidem me fateor illud *mox crescit* perspicere non posse quid sibi velit; et quid significat *superis*? Haud scio an expresserit noster Horatiana illa notissima od III 1, 5 sq.

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis

ut scribendum sit *Superi*, cui scripturae non repugnarent verba proxima *sed habent et numina legem*; et Juppiter fatis obnoxius est. Sed pro certo nihil affirmarim.

Eorum honorum, quos v. 138 sq. Vespasianus imperator *qui nutu superas nunc temperat arces Progeniem claram terris partitus et astris*, Etrusci patri tribuit, non minimus est, quod illum triumpho Iudaico interesse passus est. Verba haec sunt v. 140 sqq.

Laetus Idumaei donavit honore triumphi
Dignatusque loco victricis in ordine pompae
Non vetuit, tenuesque nihil minuere parentes.

---

*) Eodem modo iudicavit LUNDSTRÖM Quaestiones Papinianae Upsalae 1893, sed omisit v. d. rem probare exemplis.

De universa sententia non ambigitur, dubitatur de verbis. Neque haerebimus in eo, quod quasi constricta utitur oratione *donavit illum honore triumphi*, qui honos in eo positus est, quod licuit illi interesse triumpho. Sed qui potest is, qui dignatus est hominem loco pompae victricis, dici non vetuisse *„und nachdem er ihn eines Platzes im Siegeszuge gewürdigt, erhob er keinen Einspruch?“* Sic enim iubet verba reddi nostra lingua LOTTICH l. l. p. 25. Haec autem aut infantis balbutientis sunt, certe non poetae qualiscunque est, aut quaerendum est quid tandem non vetuerit. Ut dicam quod sentio, intercidisse aliquid persuasum mihi est inter v. 141 et 142, qua in lacuna scriptus erat infinitivus suspensus a vetandi verbo. Et suspicari licet mentionem fuisse invidiae quorundam ex nobilibus, quos tali hominis novi honori invidisse facile intellegitur. Versum autem 141

dignatusque l o c o victricis e t o r d i n e pompae

recte traditum esse in libris probatur ipsius Statii verbis, qui haec scripsit Theb. VI 368 (390)

iamque l o c u s cuique est e t liminis o r d o

Videmus ut opinor poetam hic et saepius posse intellegi explicarique ex ipsius verbis. Quod idem cadit in eiusdem carminis v. 164 sqq.

nec plura moratus
Romuleum reseras iterum, Germanice, limen

quae sic scripta sunt in codicibus plurimis, leguntur autem in Matritensi codice et ab Italis *nec longa moratus*, quorum utrumque per se nihil habere quo offendaris non opus est longius explanare. Hoc quaeritur, num forte Matritensi codici maior fides habenda sit eis locis, ubi scriptura eius distat a reliquis libris, quod ego discernere non possum, sed spes est brevi facturum esse eum, cuius editio exspectatur. Interim satis est colligere eos locos, quibus eadem utitur poeta locutione. LOTTICH l. l. ad v. duos affert ex Thebaide desumptos Matritensis scripturam probaturus

VII 81 *nec longa moratus*
II 241 *non unquam longa tuendo Expedias*
quibus addo ex silvis
III 2, 58 *nec longum cara licet in cervice morari*
I 2, 217 *quam longa morantur Sidera!*
et ex Thebaide II 141 *nec longa morati*
XII 358 *nec longa morata*
Sed idem Statius in eadem Thebaide II 197 haec habet *nec plura moratus.*

Apparet locutum esse Statium et *plura moratus* et *longa moratus,* ideoque posse sine dubio nostro loco ea uti locutione, quam testantur meliores codices. Dixi supra Matritensem me iudicare non posse quanti ducendus sit, num forte praeferendus illis, qui C littera continentur. Sed C exaratum esse persuasum habeo a scriba indocto, quippe qui interdum ductus tantummodo litterarum imitatus effecerit quod sensu omnino cassum est. Velut

II 4, 34 *addentur* C *adolentur* a, Itali
II 1, 132 *leges* Ca *legens* Itali
III 1, 18 *augusti bisseno* AC *augusto bisseni* a
IV 2, 28 *duos* C *chios* a, It.

quamobrem fieri potuisse non veri dissimile videtur, ut quia saepius *longa moratus* legitur in Statii carminibus, in Matritensi consulto mutatum sit quod C servavit.

Ex hoc observato poetae genere dicendi nata est egregia emendatio POLSTERI*) et FRIEDERICHII**) ignota, ut videtur, novissimo interpreti carminis v. 179 *per Sunia* pro eo, quod prave scriptum est in libris *periuria*; quae emendatio desumpta est ex Theb. XII 624 sqq.

Linquitur Eois longe speculabile proris
Sunion, unde vagi casurum in nomina ponti
Cresia decepit falso ratis Aegea velo.

*) Progr. Wongrow. 1878.
**) Rhein. Mus. XXXVIII 471 ff.

Eodem modo putamus lucem accrescere loco nec tradito nec edito recte I 5, 13 sq.

dumque procax vittis hederisque soluta,
Fronde verecunda, Clio mea ludit Etrusco.

Sic BAEHRENS; in libris exaratum est *fronde verecundo*. Videamus, quo modo poeta eandem vel similem sententiam alibi expresserit.

II 1, 26 sq. *Et nunc heu! vittis et frontis honore soluto*
Infaustus vates

I 2, 248 sq. *eat enthea vittis*
Atque hederis redimita cohors

Apparet poetam tribuere Musis et vatibus entheis vittas hederasque, easdemque detractas fingere Musis lascivis vel procacibus et vatibus lugentibus. Scribendum igitur est nostro loco

dumque procax vittis hederisque soluta
Fronte verecundo Clio mea ludit Etrusco . .

sine ulla distinctione vel si quis mavult commatis signo post *procax* et *fronte* posito. Neque offendendum est in eo, quod duo attributa, quorum alterum alterius explicatio est, ἀσυνδέτως posita sunt aut quod *verecundus* coniunctum est cum nomine proprio; cf. II 2, 9 *placidi Polli*; II 2, 10 et III 1, 87 *nitidae Pollae*; III 1, 65 *facundi Polli;* II 3, 15, I 3, 22, III 3, 149 alia; immo de industria videtur poeta opposuisse Musam procacem verecundo Etrusco.

Addo ex eodem carmine (I 5), quae memorabilia videntur esse. Nolo, inquit poeta, mihi adesse Musas, Phoebum, Bacchum, Mercurium . . . alios poscunt mea carmina coetus

Naidas undarum dominas, regemque corusci
Ignis adhuc fessum Siculaque incude rubentem
Elicuisse satis . .

ubi apte appellat noster Vulcanum *regem corusci ignis et rubentem Sicula incude;* cf. III 1, 112 *ubi flammeus aegida caelat Mulciber* Theb. X 100 *Mille intus simulacra dei caelaverat ardens Mulciber . .*

Sed diu multumque dubitavi, num credi possit poeta *adhuc fessum* eum dixisse, qui ceteroquin impigerrimus omnium describitur; cf. Theb. III 275 sqq., ubi Venus Martis accusans crudelitatem haec dicit

at non eadem Vulcania nobis
Obsequia, et laesi servit tamen ira mariti!
Illum ego perpetuis mihi desudare caminis
Si iubeam vigilesque operi transmittere noctes,
Gaudeat ornatusque novos ipsique laboret
Arma tibi

et Theb. II 273 sqq. *hoc, docti quamquam maiora, laborant*
Cyclopes, notique operum Telchines amica
Certatim iuvere manu; sed plurimus ipsi
Sudor.

Clarescunt verba obscura comparato Thebaidos loco V 50
Lemnos, ubi ignifera fessus respirat ab Aetna
Mulciber . .

Pergamus ad v. 34 sqq.

Non huc admissae Thasos aut undosa Carystos,
Maeret onyx longe, queriturque exclusus ophites:
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiae quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis liventibus Attis
Quaeque Tyri venas secat et Sidonia rupes.

Undosum vocat marmor Carystium, quod quid significet si cui dubium esse possit eluceat verbis I 2, 149 *et concolor alto vena mari.*

Sed notandum exemplum videtur; est enim ex eo Statii dicendi genere, de quo sic WACHSMUTH in Mus. Rhen. XLIII p. 21 sqq. ad v. inemptas = quae emi non possunt Statius gebraucht, in solchen Dingen ein Liebhaber von Seltenem und vielfach geradezu ein Neuerer inemptas = quae emi non possunt d. h. kostbar; itemque EDUARDUS SCHWARTZ in coniectaneis ind. lect. aestiv. Rostoch. 1889 praemissis p. 5 sqq. . . „Non transmutatione modo verborum nova atque

audaci Statius orationem propter saeculi ignaviam et sterilitatem a naturali sinceroque vigore delabentem ad sublimitatem poeticam excitare voluit, sed etiam haud raro unius eiusdemque verbi significationes ita dilatavit, ut non primaria quaedam et simplex notio clare exprimeretur, sed leniter et obscure indicaretur sive tota series notionum aliquo modo primariae adiunctarum sive una ex eis."

Eodem modo dubitare possemus quid sibi vellet I 3, 20 Anien, qui ipse

infraque superque
Saxeus hic tumidam rabiem spumosaque ponit
Murmura . . .

nisi Ovidius am. III 6, 45 de eodem Aniene haec diceret

Nec te praetereo, qui per cava saxa volutans
Tiburis Argei pomifera arva rigas.

Non igitur mutandam vocem censebimus — quamquam multifariam se torserunt critici — nec nimis mirabimur, quoniam Vergilius georg. III 145 umbram eam, quae saxis oritur, *saxeam* dicit et Ovidius Metam. XI 87 Pactolum, qui aurum secum fert, *aureum* vocat. Nec prorsus diversi generis sunt, quae noster scribit Theb. IV. 799 sq.

iamque amne propinquo
Rauca sonat vallis, saxosumque impulit aures
Murmur . .

i. e. murmur aquae e saxis labentis.

Et cum scribit noster III 4, 45 sq.

Sic orsa leves secum ipsa per auras
Tollit olorinaque iubet considere biga . . .

adiectivum ita dilatavit, ut significet „mit Schwänen bespannt". Idem genus occurrit V 5, 31

nec eburno pollice chordas Pulso

quod perperam mutarunt Itali in *ignavo; eburnus* enim ampliore vi is dicitur pollex, qui instructus est plectro eburno, ut recte rem explicat novissimus editor LUNDSTRÖM l. l. p. 47.

Adiectivorum notiones videbamus aliquo modo deflecti et dilatari a poeta; exemplum afferam, ubi idem de verbo

statuere licebit. Est autem locus ex villa Tiburtina Manilii Vopisci (I 3), quod carmen merito LEO l. l. p. 18 inter pauca difficile appellat. Ibi inde a v. 9 haec exarata sunt in libris

Ipsa manu tenera tecum scripsisse voluptas
Tunc Venus Idaliis unxit fastigia sucis
Permulsitque comis blandumque reliquit honorem
Sedibus et volucres vetuit discedere natos.

De versu primo vere anni 1889 in eis, quae ad examen sustinendum de hoc carmine commentatus sum, haec scripsi (priusquam SCHWARTZII coniectanea nota mihi erant): equidem non unum, sed plures versiculos hic casu intercidisse persuasum habeo neque quidquam mutandum esse versus noni, non quia puto hoc loco poetam debuisse inde ab initio usque ad exitum describere domum, quod sane ridiculum esset, sed quia singula verba versus adeo sunt Statiana (cf. III 1, 117 *conscripta formantur imagine templa* et quae paullo infra affero exempla), non ut desiderari possit ulla notio.

Cui sententiae succrescere videtur confirmatio quaedam ex particula quae sequitur *tunc*, pro qua plurimi non video quibus causis reponendum censuerint *tum;* cf. II 2, 118 *tunc rabidi ponunt flatus* . . II 3, 49 *tunc ego teque diu recolam* . . I 4, 58 *tunc deus* . . Et BAEHRENSIUM quidem plane absurdum effecisse, cum fidenter ut solebat in textum reciperet *ipsa datur tectum tenera* luce clarius apparet ex versibus his et verbis et numero persimilibus

III 2, 106 *Ipsa manu placida per limina festa* . .
III 3, 123 sq. *manuque*
Ipsa levi gravidos tetigit fecunda labores.

Talia autem valere aliquid in Statii carminibus explicandis potius quam emendandis (cf. LUNDSTRÖMII iudicium l. l. p. 1) cum alii tum KERCKHOFF l. l. exemplis dilucidis probavit.

Ut hoc quoque addam, olim retinendum censebam *tectum* Italorum; nunc assentior eis, quae LEO l. l. exposuit sic scribens *ipsa manu tenera te conscripsisse Voluptas.*

Sed non modo adumbravit domum dea, sed vetuisse etiam eam dicit poeta volucres discedere natos. Ac primum quidem retinendum est discedendi verbum; cf. I 5, 11 *Discede Laborque Curaque;* III, 2 128 *Caesar ab emerito iubeat discedere bello;* Ach. I 554 *resolutaque murmure laeto Agmina Discedunt* II 22 (308) *et longo Scyros discedere ponto.*

Sententia autem trium illorum versuum, de qua tacent ut solent interpretes, haec est: nidos exstruxisse Venerem poeta finxit, et iam intellegitur, quam apte dicat honorem blandum (liebliche Zier), quem sedibus i. e. domui dea reliquerit. Volucres autem ipsius Veneris sunt, columbae, de quibus Ach. I 372 sqq. (cf. Theb. V 63; XII 16 sqq.)

Qualiter Idaliae volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, iam longum caeloque domoque gregatae
Si iunxit pinnas diversoque hospita tractu
Venit avis, cunctae primum mirantur et horrent:
Mox propius propiusque volant, atque aere in ipso
Paulatim fecere suam plausuque secundo
Circueunt hilares et ad alta cubilia ducunt.

Totum locum exscripsi; pulchra enim verba sunt et vere poeta digna, ut saepius meo quidem sensu in Achilleide; ut dolendum sit, quod morte abreptus imperfectum hoc carmen reliquit.*)

Subnasci potest opinio, num forte scribendum sit *natas,* sed possumus fortasse acquiescere in codicum scriptura.

Restant verba *tunc Venus Idaliis unxit fastigia sucis permulsitque comis,* quibus quid faciam fateor me nescire. *Idalios sucos* amomum esse dicunt interpretes, et hinc natae sunt coniecturae *crocis* et *odorem;* cf. III 3, 132 *maternoque rogos unxistis amomo;* sed quid inde lucramur? Hoc quaerendum est, qualis tandem fuerit in fastigiis ornatus vel speciosi quid, ut poeta iure aliquo dicere possit Venerem unxisse sucis fastigia. Quod quia non video corruptum esse

*) cf. egregiam Wilamowitzii commentationem de aliquot Achilleidos locis in ind. lect. Gotting. 1893/94 p. 9 sqq.

locum existimo et scribendum *tunc Venus Idaliis cinxit fastigia nidis permulsitque comis* scil. nidos. Et permulcendi verbum — redit disputatio unde orta est — ita deflexit poeta ut significet *molle aliquid facere.*

Sed revertamur ad carmen quintum. *Non huc admissae sunt,* inquit v. 34, *Thasos aut undosa Carystos, maeret onyx longe queriturque exclusus ophites* . . quibus verbis Statius de industria corrigit Martialem, qui VI 42, 14 sq. de eodem balneo dixerat

Siccos pinguis onyx anhelat aestus
Et flamma tenui calent ophitae

cf. FRIEDLÄNDER l. l. III p. 95 Anm. 5.

Undosa Carystos quid esset dicebamus apparere ex I 2, 149, et confirmatur alio loco, qui tamen ipse multam curam fecit interpretibus.

Etenim II 2, 92 sq. haec leguntur

Hic Nomadum lucent flaventia saxa Thasosque
Et Chios et gaudens fluctus spectare Carystos

Ambigi non potest nec de sententia nec de depravatione scripturae; neque enim inest in locutione quod requirimus *speciem et colorem fluctuum habere*, nec conferri possunt UHLANDII nostri verba notissima *„und was er blickt, ist Wut“*. Scripturae traditae defensor exstitit BITSCHOFSKY*) collato loco Sid. Apollin. 5, 199 *et fingit alumnum, aemulus te contra spectat* . . . in quibus inesse vult *„er heuchelt den Zögling, während er im Gegenteil als Nebenbuhler dich im Auge hat d. h. dir nachstrebt. Also: der Marmor, der sich freut den Meereswogen nachzustreben.“* Qua in re non recte iudicavit vir doctus; nam et res prorsus aliena est et vis sententiae non in spectandi verbo, sed in voce *aemulus* posita est: *spectat te ut aemulus* i. e. oculis aemuli.

Quid autem scripsit poeta? *fluctus aequare* restituendum censent SALMASIUS, MARKLAND, BAEHRENS, vel quod MARKLANDO magis placuit *fluctu certare*, quorum neutri fidem

---

*) annal. Fleckeis. 1878 p. 573 sqq.

habere me fateor. Alterum enim nullam habet probabilitatem — non enim intellegitur quomodo orta sit depravatio — alterum quamquam commendari videtur IV 2, 28 *et Glaucae certantia Doridi saxa;* Theb. II 216 *et vivis certantia vultibus aera* tamen et pluralis numerus necessarius videtur esse nec hoc obliviscendum est Statium, quamvis in eodem sententiarum et locutionum ut ita dicam circulo versetur, tamen fere semper paululum mutare locutionum formas.*) Et SANDSTRÖM l. l. p. VIII cum sic statuit scribendum esse

Et Chios et glaucos fluctus victura Carystos

---

*) Mlta eius rei congessit exempla KERCKHOFF l. l. p. 34 sqq., quibus addere placet quae adnotavi. Velut

I 2, 216 *Cum Thetin Haemoniis Chiron accedere terris*
Erecto prospexit equo . . . et
Ach. I 234 et *abreptos subito iam iamque latentes*
Erecto prospectat equo.
III 3, 40 *similis gemui proiectus ad ignes* . . et
II 1, 33 cum *proprios gemerem deiectus ad ignes*
II 4, 7 *affatus etiam meditataque verba Reddideras* . . . et
20 *quique refert iungens iterata vocabula perdix* . . et
31 *monstrataque reddere verba Tam facilis.*
IV 2, 4 *reducem consumpsit Ulicem*
V 3, 148 *quam tardus Ulixes*
II 7, 49 et *tarde reducis vias Ulixis*
II 1, 118 *tarde remeantis Ulixis*
II 6, 56 *Speravit tardi reditus Eumaeus Ulixis*
III 5, 81 sq. *nam nec mihi barbara Thrace*
Nec *Libye natale solum* . . . et
III 3, 59 sq. *Sed neque barbaricis Latio transmissus ab oris:*
Smyrna tibi gentile solum
II 1, 172 *Dilectosque premis visus et frigida lambis Oscula*
III 3, 17 sqq. *tenet ecce seniles*
Leniter implicitus vultus . . .
animaeque supremum frigus amat
II 2, 85 *hic Grais penitus desecta metallis Saxa* . . et
I 5, 36 *Nomadum decisa metallis Purpura*
I 2, 148 sq. Hic *Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum*
Saxa virent . . . et
IV 2, 26 sq. *aemulus illic*
Mons Libys Iliacusque nitet

Obiter inspicienti videri potest hoc nihil evinci exemplo, quia altero loco *Phrygium* dicatur, altero *Iliacum* marmor; sed utrumque idem significare eo confirmatur, quod ut in his Statii carminibus sic alibi tantum-

in eo aberravit a vero, quod gaudendi verbum delevit; est enim hoc tam proprium et peculiare nostri poetae (cf. KERCKHOFF l. l. p. 50 s. v. *gaudere)*, ut eo sublato omnis probabilitas evanescat. Infinitivus igitur requiritur suspensus a gaudendi verbo; et si non ipsam Statii manum, tamen quod verisimillimum est restituit WALLER l. l., cum scribendum proponeret *superare.*

Redeamus iterum ad carmen quintum. In v. 36

sola nitet flavis Nomadum decisa metallis Purpura

---

modo *Phrygii* vel *Synnadici* marmoris mentio fit. Sententia igitur poetae haec est: hic *Numidicum* et *Phrygium* marmor nitet, et videmus, quod probari volumus hoc exemplo, variare poetam orationem consulto ita, non ut bis idem ponat aut *Libys Iliacusque* aut *Libycus Phrygiusque,* sed alterum loco altero. Consulto autem eum hoc fecisse inde videtur sequi, quod non universum adiectivum *Asiaticum* scripsit, sed posuit item notionem singularem. Talia autem ut abhorrent a cogitandi subtilitate ita non aliena sunt ab nostri poetae consuetudine. Ut quod in oculis est exemplo utamur, res eadem est de *Libyco* marmore pro eo quod esse vult poeta *Numidico.* Alterum affero exemplum IV 6, 75

Mox Nasamoniaco decus admirabile regi
Possessum.

Nasamoniacum regem non alium esse posse atque Hannibalem docet Martialis IX 43, qui eundem Lysippi Herculem primum Alexandri fuisse dicit, deinde Hannibalis, tum Sullae. Et BARTHIUS iam recte adnotavit „Annibalem intellegit. Nasamones enim populus Libyae. At Libya Africae pars, quae et pro tota Africa saepe ponitur: in Africa autem Carthago, ut omnes sciunt.“ Apparet autem et minus subtile et nimis quaesitum esse hoc dicendi genus. Idemque Hannibal v. 85 similem in modum *Sidonius dux* appellatur.

Non omni ex parte consimilis est locus III 2, 109 sq.

Cur vada desidant et ripa coerceat undas
C e c r o p i o stagnata l u t o

Cecrops enim ex Aegypto ferebatur in Atticam immigravisse, ut quodam modo *Cecropius* dici potuerit pro *Aegyptius.*

Conferri autem potest II 6, 54 sq.

Dignus et Haemonium et Pyladen praecedere fama
Cecropiamque fidem . .

Cecropia enim fides singulari vi posita est pro *Attica* fide; sed *Atticam* fidem universa significatione non vult intellegi, sed *Thesei* in *Pirithoum.*

Alia oritur ex his verbis quaestio eaque persimilis. In libris enim haec traduntur

Dignus et Haemonium Pyladen praecedere fama

omissa particula *et,* quam inseruit BAEHRENS, ut non tres nominentur et

purpura positum est pro lapide porphyrite.
cf. II 2, 91 *hic Nomadum lucent flaventia saxa*
I 2, 148 *hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum*
Saxa virent
IV 2, 26 *aemulus illic*
Mons Libys Iliacusque nitet.

Pergit poeta v. 37 sq.

Sola cavo Phrygiae quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis liventibus Attis

Haemonius i. e. Achilles et *Pylades* et *Theseus,* sed duo tantummodo. Duorum autem solere poetam facere mentionem, ubi amicorum fidem exemplis illustrare cupit si non manifesto probatur, at tamen verisimillimum fit his exemplis
IV 4, 103 sqq. *cedet tibi gloria fidi*
Theseos et lacerum qui circa moenia Troiae
Priamiden caeso solatia traxit amico
V 2, 155 sqq. *et unanimi comes indefessus amici;*
Quo Pylades ex more pius, quo Dardana gessit
Bella Menoitiades. quippe haec concordia vobis,
Hic amor est, duretque precor!
Theb. I 475 sqq. *siquidem hanc perhibent post vulnera iunctis*
Esse fidem, quanto partitum extrema protervo
Thesea Pirithoo vel inanem mentis Oresten
Opposito rabidam Pylade vitasse Megaeram.

His probatis cordatus homo fortasse *Patroclum* pro *Pylade* insferendum censebit; equidem aliam viam existimo probabiliorem esse. *Haemonius* enim, quod sane omnibus locis ceteris ubi occurrit idem est atque *Thessalus* hoc loco scripsit aut ut reconditae doctrinae hominem se praestaret, qua sciebat et Phocenses ex Aeolica gente esse et in Thessalia olim Aeoles habitasse, aut, quod ego crediderim, mero errore deceptus. Similis autem error exstat etiam in Thebaide *multum vigilata per annos* XI 35 *iuvenemque patrem puer aequat Alatreus,* et nominatur pater antea v. 32 *Eurymedon,* Panis filius. Sed VII 262 sq. ille Eurymedon
qui pastoralia Fauni
Arma patris pinuque iubas imitatur equinas
distinguitur ab Alatrei patre. Et talem errorem non veri dissimilem esse etiam Knaack iudicavit, qui ad silv. III 5, 48
Questa est Aegiale, questa est Meliboea relinqui
haec scripsit (Herm. vol. XXV p. 88): „Aegialen prudentem Adrasti filiam (Ε 412) esse olim credebam; nunc eandem atque Aeglen statuo *δι' ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη* (scil. *Θησεύς*) *ὥς φησι Κέρκωψ,* modo Statii (qui Istri copiis usus est) errore duo nomina simillima inter se permutata esse mihi concedatur."

Phrygium igitur vel *Synnadicum* marmor dicit hic adhibitum esse, de quo II 2, 87

Synnade quod maesta Phrygiae fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro

et nostri carminis v. 40 sq.

Vix locus Eurotae, viridis cum regula longo
Synnada distinctu variat

quae verba recte interpretatus FRIEDLÄNDER l. l. III[6] p. 95 scribit: *Kaum war der grüne lakonische Serpentin zugelassen, um grosse Tafeln des weissen, violett gefleckten synnadischen* (Pavonazetto) *in langen Leisten einzufassen.* Synnadicum autem marmor lividis venis distinctum fuisse vel esse sumpsisse videtur vir doctissimus ex nostri carminis verbis *maculis liventibus*, quod non consentit cum illo altero loco *ubi marmore picto Candida purpureo distinguitur area gyro*. Purpureus igitur gyrus est, quo candidum marmor Synnadicum distinguitur et hoc optime quadrat ad ea, quae v. 38 leguntur *ipse cruentavit maculis . . Attis*: reiciendum ergo est illud *liventibus*, quod A exhibet et restituendum *lucentibus**) ut in C codicibus exaratum est. Quod confirmatur verbis I 3, 36

An picturata lucentia marmora vena Mirer?

Pauca adnectenda sunt de forma enuntiati. Sola purpura decisa flavis Nomadum metallis nitet, sola, quam cavo antro (= in cavo antro, cf. de omissis praepositionibus NAUCKE observationes crit. et grammat. in Pap. Statium Vratisl. 1863) Synnados Phrygiae ipse Attis cruentavit maculis lucentibus. Suppleri nihil aliud potest ex prioribus quam *purpura nitet*, quod tamen substantivum non videtur habere suum locum, quia non quadrat ad enuntiatum relativum. Ex singulari

*) Eodem modo indicavit FRIDERICUS VOLLMER in eis, quae SKUTSCHII disputationi in annal. Fleckeis. 1893 p. 477 addidit.

igitur voce *purpura* universa notio aliqua, velut *area* scil. marmorea, suppleri debet, id quod nec in Statio nec in aliis scriptoribus inauditum aut novum est.

Restat eorum, de quibus agimus, versiculorum ultimus, quem in codicibus sic scriptum videmus

Quaeque (quoque C) Tyri niveas secat et Sidonia rupes

Ne longus sim in recensendis doctorum coniecturis incorruptam arbitror esse scripturam et explicatione magis egentem quam emendatione. Supplendum est autem ex eis, quae antecedunt, *sola* adiectivum, quocum coniuncta est substantivi loco universa illa notio, quam exquisivimus ex *purpura*, et *nitet;* referenda autem ad substantivum *Tyri* et *Sidonia*, ut plenum enuntiatum hoc evadat: sola nitet area Tyri et Sidonia, quae secat niveas rupes.

Contortum hoc esse dicendi genus quis neget? Sed indigna esse talia nostro poeta equidem concedere non possum. Et si quis eo offendatur, quod attributivum locum et genetivus habet et adiectivum, haec velim perlegat exempla ex ipso Statio desumpta

II 2, 122 *Troica et Euphratae supra diademata felix*
V 1, 26 *Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos*
215 sq. *Ipsa toris Serum Tyrioque umbrata recumbit*
Tegmine
60 sqq. *Si Babylonos opes, Lydae si pondera gazae*
Indorumque dares Serumque Arabumque potentes
Divitias.

Codicum scripturam defendit etiam BITSCHOFSKY (Wiener Stud. III 159), sed exemplis quae attulit (I 3, 88 sq.; II 2, 80; III 2, 143; III 3, 169; Theb. X 807; XII 623) hoc tantummodo probatur, de quo nemo dubitat, substantivum, a quo suspensum sit adiectivum, posse poni in enuntiato relativo, quo cum substantivo coniunctum sit interdum attributum; sed hoc non probavit, cuius generis ne mihi quidem contigit, ut exemplum invenirem, illud attributum referendum ad substantivum posse apponi relativo idque omisso substantivo.

Pergit poeta in describendo lapide pretiossissimo, qui ad hoc balneum adhibitus sit, v. 40 sqq.

Vix locus Eurotae, viridis cum regula longo
Synnada distinctu variat. Non lumina cessant
Effulgent camerae, vario fastigia vitro
In species animata nitent.

quorum de priore parte supra verba feci. Quae sequuntur verba nec scripta nec explicata recte sunt. Non enim *lumina* cessare i. e. cedere scil. parietibus incrustatis (quid tandem in fenestris memorabile aut pretiosum?), sed *limina* (quod A praebet) vel inde apparet, quod paulo infra *fastigia* dicuntur nitere *vario vitro*, et postea v. 45 *multus ubique dies* laudatur. *radiis ubi culmina totis perforat sol.* Totum igitur balneum perapte describitur tribus nominibus *limina, camerae, fastigia:* et optime meo quidem sensu utitur poeta negativa orationis forma *non limina cessant*, ubi agitur de vilissima aedificii parte. Accedit, quod mirum in modum saepius in C confusa sunt haec duo nomina; cf. III 1, 9 et 105; IV 2, 61.

Ultima huius partis verba multam fecerunt criticis curam. Inepte enim in libris traduntur *vario fastigia vitro in species animoque nitent*, quae qui nuperrime in disputationem vocavit, EDUARDUS SCHWARTZ l. l. p. 9, sic emendanda esse censuit *in species cultusque nitent* memor Ausonii verborum (Mos. 18)

In speciem quin me patriae cultumque nitentis
Burdigalae blando pepulerunt omnia visu.

Quae coniectura speciosi aliquid habet, praesertim cum harum rerum peritis notum sit consulto saepius imitatum esse Ausonium nostri verba, ut non uno loco ad explicandum nostrum aut emendandum illo uti possis. cf. quae de hac re idem SCHWARTZ adnotavit l. l. p. 8. Et probari videtur coniectura, quia etiam reliquis locis silvarum, ubi haec vox occurrit, adnexum est *cultus*; cf. III 5, 19

Quid nunc magnificas species cultusque locorum . .

II 2, 41 sq. *innumeras valeam species cultusque locorum*
Pieriis aequare modis

I 6, 28 sqq. *Ecce autem caveas subit per omnis*
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera non minor sedente.

Speciem autem iubet ille nos intellegere eadem vi positum, qua IV 2, 30 de tecto laqueato dicatur. Non possum adstipulari viro doctissimo. Nam primum illo loco communem nominis notionem non est cur dilatatam ponamus ita, ut sit *tectum laqueatum.* An non potest simplex sententia haec esse (liceat vernacula uti lingua) *oben ist ein weiter Blick (longa supra species); müde kann man sich sehen, ohne jedoch alles in der Höhe zu erfassen, und den goldenen Himmelsdom glaubt man vor sich zu haben (fessis vix culmina prendas Visibus auratique putes laquearia caeli)?* cf. FRIEDLÄNDER l. l. III⁶ p. 99. De tecto autem laqueato nostro loco (I 5) cogitari non posse inde apparet, quod balneum non habet omnino tale tectum, sed cameras, quibus adiunctum est fastigium vario vitro. Quid igitur significant verba *in species?* Auxilio rursus venit ipse Statius, qui Theb. II 114 sqq. haec scribit

laeto regalia coetu
Atria complentur, species est cernere avorum
Comminus et vivis certantia vultibus aera.

Summi autem momenti sunt Theb. VI, in quo ludi funerales celebrantur, versus 246 (268) sqq.

Exin magnanimum series antiqua parentum
Invehitur, miris in vultum animata figuris.
Primus anhelantem duro Tirynthius angens
Pectoris attritu sua frangit in ossa leonem.
Haut illum impavidi, quamvis et in aere suumque
Inachidae videre decus . . . . . .
264 *Et gravis Acrisius speciesque horrenda Coroebi . . . .*
272 *Mille dehinc species.*

cf. IV 6, 20 sqq. *Mille ibi tunc species aerisque eborisque vetusti*

Atque locuturas mentito corpore ceras
Edidici.

cf. FRIEDLÄNDER l. l. I[6] p. 394 de hac re: *In ihren (scil. der Freigelassenen) Bädern sah man eine Unzahl von Statuen, von Säulen, die nichts trugen, sondern nur zur Zierde und Vermehrung der Kosten dienten;* cf. Senec. epp. 86, 7.

Species igitur statuae sunt, in quas nitent fastigia vario vitro *auroque;* sic enim recte arbitror emendasse QUECK (in praef. p. X) et OTTO (Mus. Rhen. XLII) pro eo quod in libris est *animoque;* cf. I 2, 152 sq.

Pendent innumeris fastigia nixa columnis;
Robora Dalmatico lucent satiata metallo i. e. auro.

V. 52 in C falso scriptus sic restituendus est ut legitur in editionibus omnibus praeter Baehrensianam

et in summum fundo patet omnis ab imo.

Sic placuit poetae, ut ei placuit I 3, 19

et longas eadem fugit umbra per undas

quod non intellexerunt inde ab Italis editores; recte KERCKHOFF l. l. p. 47 iudicavit, qui comparat II 2, 48 sq.

Cum iam fessa dies et in aequora montis opaca
Umbra cadit vitreoque natant praetoria ponto

Theb. II 41 sq. *Ast ubi prima dies . . .*
. . atque ingens medio natat umbra profundo

quibus addo Theb. X 298 sq. *stagnant nigrantia tabo*
Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis

Et verissima sunt FRIDERICI LEO verba iudicantis l. l. p. 17 *ubi mireris magnos parvosque criticos consulentes perspicuitati sermonis, sed omnem poeticum colorem detergentes, dum quaesitae imagini tritissimam substituunt „fugit unda per umbras“.* Totum autem carminis tertii locum imitatus est Ausonius Mos. 194 sqq.

Quis color ille vadis, seras cum propulit umbras
Hesperus et viridi perfudit monte Mosellam!
Tota natant crispis iuga motibus et tremit absens
Pampinus et vitreis vindemia turget in undis.

Annumerat virides derisus navita vites,
Navita caudiceo fluitans super aequora lembo
Per medium, qua sese amni confundit imago
Collis et umbrarum confinia conserit amnis.

Pauca dicam de exitu carminis quinti, qui in codicibus sic traditus est

macte oro nitenti
Ingenio curaque puer tecum ista senescant
Et tua iam melius discat fortuna renasci!

Clare indicatur ultimo versu Etrusci patrem tum cum hanc eclogam poeta scripsit nondum exilio liberatum fuisse; cf. KERCKHOFF l. l. p. 12. Quod cum negari nequeat, apparet, quam apte dicat poeta priore versu *macte . . nitenti ingenio curaque puer!* Qui enim filius hac in re non crucietur cura? *Melius* autem integrum esse nec recte mutari in *melior* (quamquam I 4, 8 *atque alios melior revirescit in annos*) vel *in melius* demonstrant

II 2, 97 *nos docto melius potiemur alumno*
Theb. XI 192 *hoc tantum, et natae melius conubia iungas.*

Neque in reliquis haerendum est; *macte puer nitenti ingenio curaque* dictum est ut

III 1, 166 *Macte animis opibusque meos imitate labores . .*
et Theb. VII 280 *macte animo iuvenis . .*

oro autem, quod saepius pro *precor* positum videmus (cf. III 4, 103; IV 8, 23; Theb. VI 784 (809); VII 257) referendum est ad verba quae sequuntur *tecum ista senescant* scil. species et cultus balnei; cf.

III 4, 105 *gaudeat et tecum Tarpeia senescere templa*

Distinguenda autem verba sic censeo: *macte, oro, nitenti Ingenio curaque puer, tecum ista senescant . . . .*

Pergamus ad eiusdem generis carmen I 3, cuius iam antea oblata occasione mentionem fecimus nonnullorum versuum. Iam inspiciamus accuratius initium carminis, quod ut integrum servatur in libris (missa facio SANDSTRÖMII conamina) ita mihi quidem memorabile et ad cognoscendum morem poetae utile videtur esse

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci
Si quis et inserto geminos Aniene penates
Aut potuit sociae commercia noscere ripae
Certantisque sibi dominum defendere villas,
Illum nec calido latravit Sirius astro,
Nec gravis aspexit Nemeae frondentis alumnus:
Talis hiems tectis, frangunt sic improba solem
Frigora, Pisaeumque domus non aestuat annum.

In universa enim sententia paulułum deflexit siquid video poeta; protasi enim *si quis potuit* (i. e. si cui occasio data est) *cernere Tibur glaciale et noscere commercia ripae* non exspectamus addi *illum Sirius non latravit,* sed tale aliquid *is certe captus est admiratione.* Et apodosi magis respondeat protasis talis *si quis morari potuit in villa.* Sed condonemus hoc poetae, qui ipse fatetur in praefatione villam Tiburtinam descriptam esse uno die. An non talia imperfecti speciem prae se ferunt? Mira autem audacia inest in verbis *Sirius latravit calido astro,* nec plane congrua sunt exempla, quae interpretes contulerunt; eundem prorsus in modum locutus est Ausonius Mos. 222 *hos Hyperionio cum sol perfuderit aestu,* quae locutio tam singularis est tamque similis nostrae, ut hoc quoque loco illum consulto Statii audaciam expressisse verisimile sit. Et eodem modo ipse Statius alibi locutus est de leone IV 4, 27 sq.

dum nimio possessa Hyperione flagrat
Torva Cleonaei iuba sideris

Minus apta etiam colori huius orationis sunt *improba frigora,* quae per se possunt recte sic appellari, male hic, ubi iucunditatem loci efficere dicuntur. Sed res eadem est atque I 4, 41

Non labente Numa timuit sic curia felix

(cf. Kerckhoff l. l. p. 55) et II 6, 66 sq.

sive alma fidem messisque negasset
Cretaque Cyreneque.

Pisaeus annus autem eodem modo dicitur pro ista parte anni, qua ludi Olympici iuxta Pisam celebrabantur i. e. pro

media aestate, quo Horatius locutus est c. III 23, 6 *pomifer annus*, ep. 2, 29 *hibernus annus*, et Vergilius Aen. VI 311 *frigidus annus*, Tac. Germ. 14 ex. *nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri.* Et Statius ipse de una eademque domo II 2, 45 sqq.

haec domus ortus
Aspicit et Phoebi tenerum iubar; illa cadentem
Detinet exactamque negat dimittere lucem . .

Et similiter in nostri carminis v. 39 sq.; cf. III 2, 21 sq.

modo nam (scil. ratis) *trans aequora terris*
Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum

i. e. anni fructum scil. vinum, nos „Jahrgang".

Inde a versu 30 exsequitur poeta, quam non distent ripae fluvii

datur hic trausmittere visus
Et voces et paene manus. Sic Chalcida fluctus
Expellunt reflui, sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

reflui scribendum esse pro eo, quod traditum est in libris *fluvii* et N. HEINSIUS et BENTLEIUS (cf. HAUPT, Monatsberichte der Akademie der Wissensch. 1861 p. 1080) et nuperrime LEO l. l. p. 17 rectissime iudicaverunt. Conferri possunt ipsius Statii verba Theb. VII 333 *refluumque meatu*
Euripum . . .

cf. Auson. Mos. 31 sq.

omnia solus habes, quae fons, quae rivus et amnis
Et lacus et bivia refluus manamine pontus.

Expellendi autem verbum suum habere locum idem LEO perspexit, quod confirmare poterat his exemplis ex Thebaide petitis, quae non omni ex parte congrua tamen ex eadem cogitandi ratione profecta sunt; velut

II 434 *et Euboicis artatas fluctibus oras . .*

III 596 sq. *exundant apices fluctusque Pelorus*
Contrahit et sperat tellus abrupta reverti

IV 61 sq. *quaque obiacet alto*
Isthmos et a terris maria inclinata repellit

Ach. I 448 sq. *Rupibus expositis longique crepidine dorsi*
Euboicum scindens Aulis mare . . .

Erravit autem ni fallor vir doctissimus (p. 18), cum pro *sic* reponendum esse censeret *sed*, quia „ineptum esset cum coniunctis fluvii litoribus freta quantumvis angusta comparare?“ Etenim comparatione sublata quo tandem modo putabimus coniunctas esse sententias? An alio consilio aut aptius paulo ante (v. 27) Sestiaci sinus mentionem fecit? Eodem modo infra v. 66 sqq. comparatur aquarum ductus, qui *audaci transcurrit flumina plumbo* cum semita illa dulci, quam ab ore Acheloi fluminis ad Arethusae fontem Siculum ducere veteres putabant sub mare amarum. An cuiquam haec comparatio videbitur aptior? Non igitur negamus parum apte fluvii ripas cum fretis qualibuscunque conferri; sed talia non curat poeta, qui epico more res illustrare cupit similibus ut vituperandus potius, non corrigendus videatur esse.

Circumspiciendi autem verbum ampliore vi ita videtur positum esse ut sit *cum desiderio cernere*, qua vi *spectandi* verbum occurit II 2, 81 sq.

Angitur et domino contra recubante proculque
Surrentina tuus spectat praetoria Limon . .*)

Neque perquam apte inseruit ibi, ubi nihil aliud nisi litorum propinquitatem efferre vult, verba (25 sqq.) *hic aeterna quies, nullis hic iura procellis, nunquam fervor aquis*, quae prorsus aliud genus sunt. Sed haec quoque Statii esse confirmatur eis, quae Ausonius in Mosella et sententiarum contextum et verba imitatus scripsit 283 sqq.

Talia despectant longo per caerula tractu
Pendentes saxis instanti culmine villae,
Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
Amnis, et alternas comunt praetoria ripas.
Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles
Aequor, Abydeni freta quis miretur ephebi?

*) Sic recte tradita esse verba in libris concedet, qui moris Statiani in struendis verbis peritus accuratius totam comprehensionem inspexerit.

Quis Chalcedonio constratum ab litore pontum,
Regis opus magni, mediis euripus ubi undis
Europaeque Asiaeque vetat concurrere terras?
Non hic dira freti rabies, non saeva furentum
Proelia caurorum; licet hic commercia linguae
Jungere et alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent litora voces
Et voces et paene manus: resonantia utrimque
Verba refert mediis concurrens fluctibus echo.

Etenim de loci quiete infra v. 39 sqq. verba facit, cum alteram aulae partem dicat vada fluminis cernere, alteram ad silvas tacentes respicere

Qua tibi tuta quies offensaque turbine nullo
Nox silet et pigros imitantia murmura somnos.

Sic enim edendus locus est, quem interpretes diversum in modum tractaverunt. Et sic traditur in libris; ductus enim litterarum iidem sunt sive *mutantia* sive *imitantia* scribis; hoc tantum confirmari videmus, quod antea p. 18 diximus, ab indocto homine C exaratum esse. BENTLEIO autem et recentiorum multis placuit *invitant* eo magis, quia Horatius ep. 2, 27 haec habet

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus
Somnos quod invitet leves

quae verba certum videbatur imitatum esse Statium. Et fieri potuisse, ut poeta memor Horatii verborum sua scripsisset, quis neget? Sed primum ex ipso Statio Statius explicandus est. Qua in re mirum est, quantopere hanc orationis formam adamaverit; velut

II 2, 29 sq. *Hic praeceps minus audet hiems, nulloque tumultu*
Stagna modesta iacent dominique imitantia mores

I 1, 103 *tua sidereas imitantia flammas*
Lumina contempto mallet Rhodos aspera Phoebo.

III 1, 94 *. . tot saxa imitantia vultus*
aeraque . . . fixisti.

(ubi similis scripturae depravatio in C)

Theb. VII 597 *gemituque imitante querellas*
Saucia dilectis acclinant pectora muris.

Et similiter conformata oratio est

VII 718 sq. *cui* (Alcathoo) *circum stagna Carysti*
Et domus et coniunx et amantes litora nati

V 1, 92 *omnia nam laetas pila attollentia frondes*

X 116 *primosque hortantia somnos*
Languida succiduis expirant lumina flammis.

nigros autem quod traditum est mutandum esse in *pigros* his probatur locis

III 2, 73 *ante rates pigro torpebant aequora somno . .*
pigra quies II 2, 7; II 3, 66; Ach. I, 436
pigra quies inersque somnus I 6, 91
fessos somnos V 4, 4
somnos inertes Theb. II 129.

Sic nos; aliter KOESTLIN, qui confidenter ut solet iudicat (Philol. 36, 177): zu schreiben ist nutantia culmina. So spricht ein Dichter und so spricht Statius! *Der Wald steht schwarz und schweiget.*

De distinguenda denique oratione inde a versu 39 hoc iudico non bene post *murmura somnos* interrogandi signum poni, quibus in versibus duobus nulla inest interrogatio, nec melius HANDIUS post *tacentes* distinxit; sic enim dirimuntur, quae intime connexa sunt. cf. quae de hoc distinguendi genere exposuit VAHLEN in ind. lect. aest. Berol. 1886 p. 7 sqq.

Inde a versu 52 fingit poeta se ipsum perlustrantem et admirantem singulas intra domum res pretiosissimas.

Dum vagor aspectu visusque per omnia duco,
Calcabam necopinus opes.

(cf. II 2, 43 sq. *vix dum per singula ducor,*
Suffecere oculi

IV 6, 40 *si visus per membra feres.)*

Pergit deinceps: *nam splendor ab alto*
Defluus et nitidum referentes aera testae

Monstravere solum; varias ubi picta per artes
Gaudet humus superatque novis asarota figuris.

in quibus *splendor ab alto defluus* non possumus ut opinor nisi de lumine solari, quod delabitur ab alto, accipere; de reliquis autem non recte iudicasse videntur viri docti (cf. HAND l. l. p. 455), cum haec de vitrea camera accipienda esse putarent. Nam vitri notionem ambigo unde sumpserint, cum hoc tantummodo dicatur: testae aera nitidum referentes monstrant solum, ubi *aera nitidum* pro fulgore vel luce mira sane audacia positum est. Testae autem quales sint cognoscitur ex Vitruvio, qui sic scribit V 10, 3 (ed. MÜLLER STRÜBING-ROSE p. 126) *earum camerarum superiora coagmenta ex argilla cum capillo subacta liniantur, inferior autem pars, quae ad pavimentum spectat, primum testa cum calce trullissetur, deinde opere albario sive tectorio poliantur.* Hoc autem genus tectorii non modo nitebat, sed etiam imagines expressas aspicientibus remittebat (cf. VII 3, 9 p. 169).

Splendor igitur camerae remittit ut speculum aspicienti imaginem pavimenti, quod *varias per artes pictum est superatque novis asarota figuris.* Intelligenda sunt pavimenta vermiculata sive lithostrata, ex quibus asarotum id appellabatur, quo cenarum reliquiae expressae erant. cf. Plin. nat. histor. XXXVI 184 *Pavimenta originem apud Graecos habent elaborata arte picturae ratione, donec lithostrata expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Sosus, qui Pergami struxit, quem vocant asaroton oecon, quoniam purgamenta cenae in pavimentis quaeque everri solent velut relicta fecerat parvis e tessellis tinctisque in varios colores.*

Pergit poeta proximis verbis describere intimas domus partes (hoc tenendum est), sed ita, ut non facile dicas, utrum sententia obscurior sit an verba. Scripta autem haec sunt in libris

quid nunc ingentia mirer
Aut quid partitis distantia tecta trichoris?

De forma interrogativa, quae non praeteritionis quam vocamus

figurae inservit, sed amplificationis, quaeque latissime patet apud nostrum, cf. I 5, 57; II 1, 96; II 2, 63, 72, 98; III 5, 89; alia multa. Tecta versu proximo praedicat, quae nisi poetam insane vagantem ponas non domus totius tecta sunt, sed cubilium, i. e. lacunaria vel laquearia, unde necessario consequitur falso a BAEHRENSIO repositum esse in priore versu *laquearia* pro eo, quod in libris est *ingentia*, quae coniectura ipsa nullam habet probabilitatem. Recte autem sic nos interpretari *tecta* testis est ipse Statius, qui haec scribit Theb. I 144 sqq.

Et nondum crasso laquearia fulva metallo
Montibus aut alte Grais effulta nitebant
Atria . . .

Et conferre licet Aus. Mos. 48 sqq.

I nunc et Phrygiis sola levia consere crustis
Tendens marmoreum laqueata per atria campum

Ingentia autem, quod per se facile poterat coniungi cum tecti nomine, vetatur eo referri structura verborum *quid mirer ingentia aut quid distantia tecta;* duo enim sunt enuntiata interrogativa coniuncta per *aut* particulam, quorum utrumque suum habere debet obiectum quod vocamus. Sic noster III 3, 154 sq.

Quas tibi devoti iuvenes pro patre renato,
Summe ducum, grates, aut quae pia vota rependant?

III 2, 82 sq. *quos nunc ego pectore somnos*
Quosve queam perferre dies?

Quibus addere placet non plane eiusdem generis exempla, sed utilia, quia MARKLANDUS negavit omnino tolerari posse in talibus interrogationibus particulam; velut ex Vergilio

Aen. II 101 *Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolvo*
Quidve moror?

IV 235 *Quid struit aut qua spe inimica in gente moratur?*
V 742 *Quem fugis aut quis te nostris complexibus arcet?*
XII 796 *Quid struis aut qua spe gelidis in nubibus haeres?*

Quae si recte adhuc a nobis disputata sunt, hoc ut opinor concludere licet, quod primus OTTO l. l. p. 370 intellexit, intercidisse post *ingentia mirer* versiculum, in quo scriptum erat illud quod requiri dicebamus substantivum ad *ingentia*. Sed omisit vir doctus circumspicere, quid tandem nominis fuisse in illo versiculo verisimile sit. Rursus auxilio venit in hac re Ausonius, qui cum in Mosellae v. 333 sq. haec scribat

Atria quid memorem viridantibus adsita pratis
Innumerisque super nitentia tecta columnis?

nonne probabiliter suspicabimur initio illius versiculi omissi *atria* scriptum fuisse? praesertim cum sic facile intellegatur, quomodo scriba aberrare potuerit. Hac ratione rem expedire nobis videmur nec assentiri possumus MARKLANDO, qui iisdem Ausonii versibus usus pro *aut*, in quo cum supra diximus haesisse, *atria* restituendum esse censuit, quo posito metri necessitate coactus est pro *partitis* scribere *paribus*. An hoc probabile est, quo ille rem explicare studuit: postquam vox *atria* compendiose scripta migraverit in *aut*, librarium, quod deficeret metro in priore versus parte, in altera supplevisse et pro *paribus* fecisse *partitis*, quod proximum esset? Et *atria* initio versus non semel poni a Statio confirmatur loco supra allato Theb. I 144 sqq. et II 214 sq.

Laeto regalia coetu
Atria complentur.

Sed quid sunt *tecta distantia partitis trichoris?* Qui locus est ex desperatissimis, nam et quid rei insit ambiguum est et verba obscura. Ac primum quidem *distantia* eodem sensu videtur positum esse, quo Horatius dixit de carminibus epp. II 1, 72

exactis minimum distantia miror.

Gravius incommodum id est, quod nescimus, quid trichorum significet. Tribus locis nostro excepto haec vox occurrit: in Spartiani vita Pescennii Nigri exeunte, ubi scripta sunt (ed.

JORDAN-EYSSENHARDT) *domus eius hodie Romae visitur, quae appellatur Pescenniana, in qua simulacrum eius in trichoro constituit;* Orelli Coll. inscr. Lat. Nr. 1595 *Numini domus augustae Imp. Caes. Nervae Traiani Aug. Ser. Zmaragdius Silvani signum, porticus, item tricorum dedicavit:* Fabretti p. 740 Nr. 505 *Septimia Severina sarcofagum et panteum cum tricoro disposuit et perfecit.*

Salmasius ad locum illum Spartiani exponit (cf. HAND l. l. p. 423) trichorum appellari fastigium triquetrum e forma triangulari vocatum; nam τρίχωρον idem esse ac τρίγωνον. Sed haec notio neque ad inscriptionem Orellianam quadrat neque ad nostrum locum; ridiculum enim esset tecta (eo sensu, quo nos vocem accipiendam esse diximus) dici distare a fastigiis, quae qua de causa partita sint frustra quaeras. Alii volebant trichorum esse habitationem tribus partibus constantem, vel ut HAND explicat l. l. p. 425, trichora esse tristega i. e. trina tabulata seu trinas contignationes, dicta a triplici distributione. Sed ne hac quidem explicatione tollitur difficultas, praeterquam quod sane mirificum fecisset ille, si villam exstrui iussisset trinis tabulatis constantem.

Significavi satis difficultates, quibus haec pars laboret; quomodo solvendae sint alii viderint.

Pergit poeta v. 64 sqq. efferre quae laudabilia sunt

Quid referam alternas gemino super aggere mensas
Albentesque lacus altoque in gurgite fontes?
Teque, per obliquum penitus quae laberis amnem,
Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo,
Ne solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Aetnaeos deducat semita portus?
Illis ipse antris Anienus fonte relicto
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus
Huc illuc fragili prosternit pectora musco,
Aut ingens in stagna cadit vitreasque natatu
Plaudit aquas.

MARKLANDO, qui v. 64 locum non habere *mensas* cense-

bat, HANDIUS iam recte opposuit Plin. ep. IV 30, 2 *fons oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur cenatiuncula manu facta . . . .* et paulo infra *iuxta recumbis et vesceris.* Senec. nat. quaest. III 17 *in cubili natant pisces et sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam.*
Albentes autem lacus appellantur eadem significatione, qua infra *vitreae* dicuntur aquae v 73 *krystallklares Wasser.* Ut Ausonius Mos. 27 sqq. non potest sibi satisfacere in laudando aquae candore

Naviger ut pelagus, devexas pronus in undas
Ut fluvius vitreoque lacus imitate profundo . . .

et v. 55 sq.

Spectaris vitreo per levia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens: utque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer . . . . .

Supervacanea est igitur HEINSII coniectura *algentes*; nec recte distinguitur post *fontes*, intime enim proxima adnectuntur *teque, per obliquum penitus quae laberis amnem, Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo?* Hoc loco aptius ponitur interrogationis signum.

Haec excipiunt recte ut opinor in libris tradita

An solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Aetnaeos deducat semita portus?

MARKLANDUS enim, cui nimis abrupta haec interrogatio et insuavis et minime poetica videbatur esse, progressum sententiarum meo quidem sensu non meliorem fecit, cum scriberet *non . . . deducit.* An hoc minus abruptum? An insuavis illa interrogatio, qua utitur cum indignatione quadam *soll etwa blos den Elischen Fluss ein süſser Pfad führen . . . .?* Dulcis autem appellatur semita, non quia grata est Alpheo contendenti ad Arethusam amicam, ut Domitius aliique voluerunt, sed ut signeficetur, quid discriminis intercedat inter semitae et maris aquam; cf. II 2, 18

et ex terris occurrit dulcis amaro Nympha mari

Lepidissime autem eadem fabula usus est poeta

I 2, 203 sqq. . . *nitidae sic transfuga Pisae*
Amnis in externos longe flammatus amores
Flumina demerso trahit intemerata canali,
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontes; miratur dulcia Nais
Oscula nec credit pelago venisse maritum.

cf. etiam Theb. I 271 sqq; IV 238 sqq.
Imitatus*) autem esse videtur Verg. Aen. III 694 sqq.

Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

V. 70 codices exhibent, quod sensu cassum est *Anienem*, ed. pr. quod idem pravum est *Aniene in*. in editionibus quantum vidi omnibus circumfertur *Anienus* scil. deus, ut Propertius locutus est V 7, 86 (ed. HAUPT)

accessit ripae laus, Aniene, tuae.

Sed tamen dubito, num poetae manum hoc modo restituerint recte. Nominis enim forma ibi, ubi apud nostrum nominativus occurrit, est *Anien;* cf. I 3, 20

Ipse Anien (miranda fides) infraque superque Saxeus

I 5, 25 *Quas praeceps Anien* . . .

Fortasse scripsit poeta *Anien en*, qua particula non uno loco usus est; cf. II 1, 17 sq.

lacrimis en et mea carmine in ipso
Ora natant tristesque cadunt in verba liturae . . **)

Theb. VII 277 sq. *hos regis egenos*
Amphion en noster agit.

Anien igitur fonte relicto nocte sub arcana glaucos exutus amictus prosternit pectus fragili musco aut ingens in

*) cf. BITSCHOFSKY de Sidonii Apollinaris studiis Statianis. Wien 1881 p. 44 sqq.

**) sic ex coniectura verissima FRIEDERICHII, Rh. Mus. XXXVIII p. 471 sqq. (codd. *carmina in ipso ore*) collato loco Theb. II 337

quotiens haec ora natare
Fletibus et magnas latrantia pectora curas
Admota deprendo manu?

stagna cadit vitreasque natatu plaudit aquas; quae verba ultima Ausonius imitatus sic scribit Mos. 343 sq.

mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.

Statius autem in hac parte memor fuisse videtur eorum, quae Vergilius dicit de Tiberino deo Aen. VIII 31 sqq.

Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus (eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crinis umbrosa tegebat arundo).

Restant verba, quae ineunte hac orationis parte posita sunt *illis antris* (v. 70), de quibus nihil dicunt interpretes, quae tamen ego me fateor non satis percipere posse quid sibi velint. Coniungenda autem videntur cum prosternendi verbo et supplenda *in* praepositio (cf. NAUCKE l. l.). Gravius est incommodum, quod nullum exstat nec in prioribus nec in proximis vestigium, quo indicatur, qualia tandem antra voluerit intellegi, quae tamen nota esse pronomine *illis* satis significatur. Quid igitur statuemus? Aut negligentiae poeta accusandus videtur aut depravatio scripturae detegenda. Qua in re fortasse lucis aliquid petere licet ab Horatii carmine I 7, 9 sqq.

(Me) nec tam Larisae percussit campus opimae
Quam domus Albuneae resonantis
Et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
Mobilibus pomaria rivis

qui locus MARKLANDO iam videbatur ante oculos fuisse Statio. Eodem enim ordine noster persequitur locorum amoenitates pluribus nimirum verbis, ut solent imitatores: cf. vv. 70—74 cum *praeceps Anio: illa recubat Tiburnus in umbra* (v. 74) cum *Tiburni lucus* (*Tiburnus* igitur scribendum est cum C libris, non *Tiberinus:* apte enim Tiburnus, conditor et divus Tiburis urbis, recubare dicitur in illa nota umbra nemoris, cuius et v. 19 et v. 40 mentio facta est):

qui numquam vacui prodistis in aethera, rami (v. 82) *cum ubi nobilibus pomaria rivis.* Non autem fit mentio a Statio *domus Albuneae resonantis,* quae domus tamen perapte significatur verbis illis dubiis *illis antris.* Quid plura? Intercidisse suspicor unum vel plures versiculos ante v. 70, quibus sermo erat de illa caverna notissima.

Distinguenda autem tota pars inde a versu 70 sic est, ut post *plaudit aquas* commate quod vocamus interpungatur, post *crines* v. 75 puncto. Vide sententiarum cursum: *illis ipse antris . . . illa . . . illic . . . mergere crines.* Nova incipit sententia a verbis *haec domus . . . .*

Pergit poeta inde a versu 83 enumerare loca perquam amoena, quae tamen non conferenda sint cum Vopisci villa, idque eo more quo solet *cedant . . . . cedant . . .* cf. III 1, 142 sqq.: I 1, 84: II 2, 61: II 7, 75: III 4, 84: IV 4, 103. *Cedant Telegoni* scil. iugera i. e. Tusculum; *cedant Laurentia Turni iugera* i. e. Laurentum: *Lucrinaeque domus* scil. villae eae, quae prope lacum Lucrinum sunt: *litusque cruenti Antiphatae* i. e. Formiae (cf. KIESSLING ad Horat. c. III 17, 6): *cedant vitreae*) iuga perfida Circes* i. e. non

*) In explicanda *vitreae* adiectivi notione a vero aberravisse videtur KIESSLING, intelligentissimus Horatii et doctissimus iudex. Is enim ad c. I 17, 20 *et fide Teia Dices laborantis in uno Penelopen vitreamque Circen* haec adnotavit: die treue Penelope und die unzuverlässige Circe — so hat *vitrea* nach I 18, 16 *arcanique fides prodiga perlucidior vitro* schon Statius verstanden *vitreae iuga perfida Circes* silv. I 3, 83 — quälen sich um den einen Odysseus. Nam Statium hoc sensu accepisse adiectivum ea de causa verisimile non est, quia perfidiae notio expressa est ipsa voce *perfida* coniuncta sane cum *iuga,* sed referenda ad Circen per enallagen quam vocamus adiectivi, cuius generis multa exstant apud nostrum exempla. *Vitream* autem poeta Circen appellavit, aut quia solet nymphas marinas sic denotare cf. II 2, 79 sq. *uda Cymodoce viridisque . . . Galatea*
(ut recte emendasse videri possit MARKLANDUS II 2, 105 sq.

udamque per undas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.

nisi forte Statius *nudam Dorida,* ut libri exhibent scripsit memor eorum, quae Ovidius narrantem facit Arethusam Metam. V 577 sqq. cf. 595 *nudaque mergor aquis)*
III 1, 144 *virides Nereides*

tam Circeii oppidum quam promunturium; *arcesque superbae Anxuris* i. e. Anxur (*impositum saxis late candentibus* Hor. sat. I 5, 26); *et sedes, Phrygio quas mitis alumno debet anus* i. e. Caieta; cf. Ovid. Metam. XIV 441 sqq. Verg. Aen. VII 1 sq.

Sequuntur in libris haec

cedant quae te iam solibus artis
Avia nimbosa revocabunt litora bruma . .

vulgatur autem in editionibus inde a MARKLANDO *Antia* pro *Avia*. Is enim, quia antea certa loca significata essent, hic quoque nomen inserendum censuit. Praeterea adiectivi formam, cui conferri possunt Horatianum illud *venena Colcha* et Ovidianum *Partha manus;* apud nostrum autem talia non inveniuntur; nam quod MARKLANDUS affert IV 4, 63 *Histrum latus*, ex Domitii coniectura sic scribitur, cum libri praebeant *datus*, quod haud scio an rectius mutatum ab IMHOFIO sit in *datur*. Gravius hoc est, quod ne in superioribus quidem nominantur aperte semper, sed denotantur potius loca, non ut, si hoc in nostra quoque verba cadere viderimus, amplius ut opinor requisituri simus nomen. Qua in re miror neminem interpretum intellexisse satis certa indicari litora scil. ea, quae Vopiscum revocant arctis solibus hiberno tempore instante, quae qualia fuerint nos sane nescimus, non autem ignorabat is, ad quem missa haec ecloga est. Neque anxie opus est quaerere, qua vi hoc loco adiectivum positum sit, quo persaepe utitur Statius; cf. IV 5, 29 et inprimis Thebaidos I 579; II 79; IV 124, 567, 713, 719; VI 29

III 2, 34 et saepius *glaucarum* . . *sororum*
III 4, 42 *caerula* . . . *Nais*
I 2, 147 *digna deae sedes viridis* (codd., quod primus BAEHRENS restituit; edit. *nitidis)*

aut quia Horatium sciebat ita locutum esse. Neque in Horatii verbis est omnino, cur has duas feminas hoc consilio existimemus sibi oppositas esse. Nam de fide Penelopes nihil dicitur et illo altero loco I 18, 16 *arcanique fides prodiga perlucidior vitro* ut facile intelligitur quam egregie arcani prodiga fides dicatur perlucidior vitro, ita non perspicitur, qui tandem possit quaevis fides quae incerta sit vitrea appellari.

(acceptos longe nemora avia frangunt Multipilicantque sonos = nemora densa), 598; IX 172; X 389; XII 143. Neque opus est cum Domitio adiectivum accipere ita, ut idem significet atque Graecum ἀλίμενος, quae opinio inde orta est, quia omnes Antium intelligendum esse arbitrabantur, quod cum teste Strabone portu careret, in illum sensum abiisse videbatur consequens esse. Immo tenendum est ea litora significari, quo se convertere solebat Vopiscus ineunte hieme, et haec *avia* vocari sensu communi. Persentiscere autem mihi videor in his aliquid iocosae obiurgationis — et inde natum est *avia* adiectivum — zurücktreten muss vor dieser herrlichen Villa die weglose Küste, die dich aber schon wieder zurückrufen wird zur Winterzeit, et vult subintellegi: sed non recte facis, neque enim ibi maior amoenitas ne hiberno quidem tempore quam in hac tua villa. Et hoc probabilius etiam videtur si ponimus, quod per se credibile est, n o v a m praedicari villam, in qua primam degebat tum Vopiscus aestatem. Poetam autem invitavit visendi causa et suspicari licet sermonibus cotidianis dictitatum esse certe pulcherrimam esse villam, sed hiberno tempore redeundum esse ad mare. Hinc orta est, quam modo dicebamus iocosam poetae reprehensionem, hinc ea, quae infra posita sunt v. 98

cur oculis sordet vicina voluptas?

Et intermisit poeta inter has duas sententias alia quaedam, quae non allicere aut detinere non possunt ibi versantem *scilicet hic illi meditantur pondera mores* (v. 90, quae verba egregie explicavit SCHWARTZ l. l. p. 7); *hic premitur fecunda quies virtusque . . . sanusque nitor luxuque carentes deliciae, quas etiam Epicurus praetulisset.*

Insequuntur deinceps 95 sqq.

Haec per et Aegeas hiemes Hyadumque nivosum
Sidus et Oleniis dignum petiisse sub astris
Si Maleae credenda ratis Siculosque per aestus
Sit via . . .

varie tractata ab interpretibus nec tamen feliciter. Neque

qui nuperrime de his disputavit SCHWARTZ l. l. p. 9 poetae suum reddidisse videtur cum *sic Maleae credenda ratis* . . . scribendum esse censeret. Simplicem enim sententiam: dignae sunt hae amoenitates, quae petantur (struenda oratio est: *dignum est petiisse* (inf. aor.) *haec et per . . . et sub*), etiamsi summa pericula subeunda sint — simplicem hanc sententiam amplificavit poeta more poetico ita, ut pro summorum periculorum notione certa poneret exempla, quibus illa pericula illustrarentur, idque primum locutionibus praepositionalibus *per Aegeas hiemes Hyadumque nivosum sidus et sub Oleniis astris,* deinceps per enuntiatum condicionale vel potius concessivum *si Maleae credenda* . .

Neque inepte nos iudicare probatur ipsius Statii verbis, qui in re persimili haec scribit I 2, 38 sqq.

Digna quidem merces, et si tibi Juno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
Fata darent, si Cyaneos raperere per aestus.

Nec in eo haerendum est, quod eiusdem sententiae membra, locutiones praepositionales et enuntiata concessiva, non coniuncta sunt particula. Occurrunt enim talia exempla apud nostrum, quae sane critici mutare solent, non recte ut opinor. Velut
II 3, 45

Tu saltem declinis ama, preme frondibus undam

sic codd., in editt. inde a MARKLANDO *ama et preme* . .
III 1, 144 sq.

Ipsae pumiceis virides Nereides antris
Exiliunt ultro, scopulis humentibus haerent

sic codd., in editt. aut *ultro et s. h.* aut *scopulisque.*
III 1, 171 sqq.

Parcarum fila tenebo
Extendamque colus (duram scio vincere mortem),
Avertam luctus et tristia damna vetabo.

III 5, 45 sq.

Qua veteres Latias, Graias Heroidas aequas)*

sic codd., in editt. inde a Domitio *Graiasque*

Ach. I 434

Impellat mortes; tenuant umentia saxa

sic codd. meliores, alii *tenuantque*

Theb. X 298 sq. *stagnant nigrantia tabo*

Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis

sic codd., *sanguineisque natant* MARKL.

Contrarium in modum critici meo iudicio poetae verba depravarunt, cum scriberent I 2, 231

Fronde virent postes, effulgent (MARKL., *ecfulgent* BAEHR.) *compita flammis*

cum in libris sit *et fulgent.*

Apte utemur ut opinor his exemplis ad diiudicandam scripturae differentiam, quae multum vexavit criticos. In epithalamio Stellae haec scripta sunt in libris inde a versu 178

iamque parens Latius . . . . .

. . . purpureos habitus iuvenique curule

Indulgebit ebur dacasque et gloria maior

Exuvias laurosque dabit celebrare recentes.

Versum 180 prave traditum esse quivis videt; temptata sunt multa, quae tamen supervacaneum est hoc loco enumerare. Verissima autem est coniectura a nescio quo profecta *quae gloria maior* relativi, non interrogativi enuntiati loco; sic enim solet noster loqui, velut

I 4, 90 *Captivaeque preces Veledae et, quae maxima nuper*

Gloria, depositam Dacis pereuntibus urbem . .

III 3, 213 *. . et lacrimas, qui maior honos,*

Theb. I. 170 *et, qui mos populis, venturus amatur*

Theb. XII 193, sqq. *. . his anxia mentem*

Aegrescit furiis et, qui castissimus ardor,

Funus amat

*) Eodem modo VOLLMER in annal. Fleckeis. 1893 p. 834.

Ach. I 287

Luce sacra patriis (quae rara licentia) muris
Exierant

silv. II 1, 203

. . . *Ipse manu gaudens vehit et, quae munera mollis*
Elysii, steriles ramos . . . .

Scribendus igitur sic noster locus est

. . *purpureos habitus iuvenique curule*
Indulgebit ebur, Dacas, quae gloria maior,
Exuvias laurosque dabit celebrare recentes

ut oratio pariter conformata exeat atque III 1, 171 sqq. cf. supra.

Reverti liceat ad villae Tiburtinae v. 79

Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes

eo consilio, ut utamur verbis ad scripturae differentiam disceptandam quae est in villa Surrentina Pollii Felicis II 2, 109 sq.

. . *nec te cultu Tirynthia vincat*
Ora Dicarcheique sinus.

Sic BAEHR., alii aliter, in codicibus autem exaratum est *aula,* cuius defensor exstitit POLSTER (Progr. Wongrow. 1890 p. 10), qui tamen rem magis fabulando affirmavit quam probavit causis. Neque omnino caput id est, quod opinatur ille, quid significet *Tirynthia aula,* sed circumspiciendum primum, num alio loco a nostro mentio fiat talis aulae Herculeae, qualiscunque est. Qua in re dubitari nequit, quin tum fuerit aedes dei, quam aulam appellat noster. Etenim in quarti libri carmine sexto (IV 6 Hercules Epitrapezios Novii*) Vindicis) postquam latius persecutus est, quales viri possessores antea fuerint talis artificii, sic pergit v. 89 sqq.

---

*) cf. FRIEDLÄNDER l. l. III[6] p. 486.

Nunc quoque, si mores humanaque pectora curae
Nosse deis, non aula quidem, Tirynthie, nec te
Regius ambit honos, sed casta ignaraque culpae
Mens domini . .

cui conferendus est locus ex Hercule Surrentino eiusdem Polii Felicis III 1, 10 sq.

Unde haec aula recens fulgorque inopinus agresti
Alcidae?

unde apparet aulam illam IV 6, 90 esse hanc quam dicit recentem Pollii Felicis, quam *statim ut viderat, his versibus adoravit* (praef. v. 15). Et digna est laude haec aula Tirynthia; *colitur* enim (v. 3 sqq.) *maiore tholo nec litora pauper nuda tenet tectumque vagis habitabile nautis, sed nitidos postes Graisque effulta metallis culmina.*

Nihil igitur certius quam reponendum esse illo loco, de quo agimus II 2, 110, *aula.* Hoc ambigitur, cuius tandem loci non velit poeta vinci cultu hanc felicem tellurem scil. Surrentinam, utpote quae non minus habeat amoenitatis quam Puteoli (*Dicarcheique sinus* v. 110) aut Tarentum (*blanda Therapnaei vineta Galesi* v. 111).

Loci igitur alicuius amoenissimi significationem inesse in illa aula Tirynthia licet suspicari, nec inepte utemur in ea re eis, quae noster Herculem ipsum facit promittentem III 1, 182 sq.

Nec mihi plus Nemee priscumque habitabitur Argos
Nec Tiburna domus solisque cubilia Gades.

Tibur igitur crediderim velle poetam illo loco conferri cum Surrento, et Tibure templum Herculis fuisse evincitur eo, unde profecti sumus, versu I 3, 79 sq.

Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes
Et Praenestinae poterant migrare sorores.

Progredimur ad locum ex secundi libri carmine primo desumptum, ubi posteaquam quaesivit ex Atedio Meliore,

cui ereptus puer delicatus est, *iamne preces fessus non indignaris amicas? Jamne canam?* in hunc modum pergit v. 26

Et nunc, heu, vittis et frontis honore soluto
Infaustus vates vexo mea pectora tecum:
Plango lyra, et diri comitem sociumque doloris,
Si merui luctusque tui consortia sensi,
Iam lenis patiare precor.

Insequuntur haec v. 30 sqq.

me fulmine in ipso
Audivere patres, ego iuxta busta profusis
Matribus atque piis cecini solatia natis
Et mihi, cum proprios gemerem deiectus ad ignes
(Quem, Natura!) patrem.

Causam igitur addit cur velit admitti et particeps fieri doloris acerbissimi; novisse enim se profitetur exprimere carmine et patrum et matrum et natorum fletum luctumque. Atque haec non hoc uno loco; velut V 5, 38 sqq.

Ille ego qui (quotiens!) blande patrumque matrumque
Vulnera, qui viduos) potui mulcere dolores;*
Ille ego lugentum mitis solator, acerbis
Auditus tumulis et descendentibus umbris . . .

Et mirum quantum in his poeta est imitator sui ipsius: conferas *lugentum mitis solator* cum *piis cecini solatia natis*; *acerbis auditus tumulis* cum *iuxta busta profusis matribus*; ut liceat suspicari *in ipso fulmine* idem esse atque *descendentibus umbris*. Sed offendit me nescio quid in verbis *me in fulmine ipso audivere patres*, quotienscumque contextum sententiarum perlego, ut dubitem, num recte Domitius corri-

*) Sic recte emendatum esse ab Heinsio quod in codicibus est *vivos* probatur verbis supra allatis II 1. 31 *atque piis cecini solatia natis* quod non perspexit Lundström l. l. p. 50.

gendo effecerit *mi* ex eo quod libri tradunt *iam*. Quod si restituendum est et *fulmine in ipso* ad ipsam mortem pueri delicati refertur, quod certe fieri potest, consequens est excidisse quaedam inter versus 30 et 31. Sed pro certo nihil statuere audeo.

Eiusdem carminis v. 138 non bene tractarunt viri docti quantum vidi omnes, cum hoc modo effingerent poetam Parcam alloquentem

quo, diva, feros gravis exeris ungues?

pro scriptura tradita *angues*, et ita poetam facerent iterantem quod modo dixit v. 137

subitas) inimica levarit*
Parca manus

Sane noster qua est verbositate vel ubertate, ne dicam loquacitate, initio carminis dixit v. 3 sq.

abruptis etiam nunc flebile venis
Vulnus hiat, magnoque patet via lubrica plagae

et similiter v. 220 sqq.

Ast hic, quem gemimus, felix hominesque deosque
Et subitos casus et caecae lubrica vitae
Effugit, immunis fatis . . .

fatis autem restituendum est nec credendum criticis, qui omnes *fati* malunt. Etenim *immunis fatis* idem est atque *non obnoxius fatis*, et fata sunt ipsi illi dubii casus et vitae lubrica, quos puer praedicatur effugisse morte:

---

*) Attendendum est Statii genus dicendi, quippe qui adiectivum ponat, ubi in sermone communi adverbium requirimus. Aliis locis adiectivum, quod alteri substantivo coniunxit, referendum est ad alterum per enallagen quam dicimus adiectivi: velut II 6, 25 sqq.

non talem Cressa superbum
Callida sollicito revocavit Thesea filo,
Nec Paris Oebalios tales visurus amores
Rusticus invitas deiecit in aequora pinus.

Apparet ut opinor, quantopere aberraverit a vero MARKLANDUS, cum *Troasin invisas* coniectando efficeret. Late patet id genus, quod ego nunc non persequor. —

angues autem exserere Parcam perapte dici ipse Statius probat, qui loquitur in eiusdem carminis v. 184 sqq.

Illum nec terno latrabit Cerberus ore
Nulla soror flammis, nulla assurgentibus hydris
Terrebit

Theb. XII 647 .. *et anguicomae ducunt vexilla Sorores* (ubi in KOHLM. edit. mendose exaratum est *sanguicomae).*

Progredimur ad detegendum mendum, quod arbitramur inesse in versu 200 sq.

Mox ubi delicias et rari pignus amici
Sensit .. scil. Glauciam esse;

consolari enim cupit poeta Meliorem narrando, quomodo Glaucia apud inferos eius amicum, Blaesum, secutus sit et ab illo agnitus. In hoc autem orationis contextu non esse *rari amici* locum, sed *cari* persuasum mihi est. Quae voces non semel confusae sunt a librariis; velut
V 1, 11 *laudati iuvenis carissima coniunx*
codd. *rarissima*
IV 8, 32 *iuvenum carissime* (codd. *rarissime*)
Etiam III 2, 5 ad sententiam ni fallor perbene quadraret

Grande tuo carumque damus, Neptune, profundo
Depositum

sed tenendum videtur *rarumque* codicum; cf. I 2, 106 sq.

Grande quidem rarumque viris quos ipsa probavi
Pierius votum iuvenis capit.

De V 3, 42 cf. LEO l. l. p. 13 sqq.

Redimus ad epithalamii in Stellam et Violentillam (I 2) initium, ubi ipsas Musas dicit Helicone demigrare inque numero earum Elegeam adsueto celsiorem. Pergit v. 11 sqq.

Ipsa manu nuptam genetrix Aeneia ducit
Lumina demissam et dulci probitate rubentem;
Ipsa toros et sacra parat cinctuque Latino
Dissimulata deam crinem vultusque genasque
Temperat ..

cinctuque scribitur ex BARTHII coniectura, alii alia temptarunt; in libris est *cetuque* vel *coetuque* cf. HERZOGII*) adnot. ad l. Restituendem est *cestuque* vel *cestoque*, quod primus contendit JOHANNES TSCHIEDEL in dissertationis suae**) thesi VII. Probari res potest exemplis, velut Theb. V 61 sqq.

Illa (Venus) Paphon veterem centumque altaria linquens
Nec vultu nec crine prior solvisse iugalem
Ceston et Idalias procul ablegasse volucres
Fertur;

et Martialis VI 13, 7 sq.

Ut Martis revocetur amor summique Tonantis,
A te Iuno petat ceston et ipsa Venus

XIV 206 *Collo necte, puer, meros amores,*
Ceston de Veneris sinu calentem.
207 *Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston:*
Ussit amatorem balteus iste Iovem.

cf. Theb. II 283; silv. IV 2, 34.
Illud non diiudico, utrum necessario *cestoque* scribendum sit an tolerari possit *cestuque* vi latiore; cf. quae LEO explicat in re simili ad V 3, 44 l. l. p. 15.

In eiusdem epathalamii versu 221 librariorum error nondum sublatus exstat; circumfertur enim hoc modo

Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa

Sermo autem est de comitibus et Apollinis et Bacchi, qui simulatque notum est Stellae thalamos parari iubentur accelerare. Bacchi autem agmina non tam *rapida* quam *rabida* recte apellari Statius ipse testatur

Theb. I 328 *Ogygiis ululata furoribus antra*
Deserit et pingues Baccheo sanguine colles

Theb. II 81 *Qualia per Rhodopen rabido convivia coetu*
Bistones aut mediae ponunt convallibus Ossae.

---

*) Statii epithalamium (silv. I 2) denuo editum adnotavit . . . Aug. Herzog Lips. 1881.

**) quaestiones Aeschineae. Diss. inaug. Berol. 1887.

Haec duo adiectiva saepius in libris confunduntur; velut II 2, 118

tunc rabidi ponunt flatus (rapidi codd.)

III 5, 15

aut rabidi mulcent te proelia Circi (rapidi codd.)

Theb. IV 775

rabidi sub limite Cancri (*rapidi* codd. deter.)

Unum placet afferre versum, de quo hoc loco disputemus, qui varie ab interpretibus nec feliciter explanatus est. Etenim ut praedicet Stellam amicum, haec dicit v 201 sqq.

Macte toris, Latios inter placidissime vates,
Quod durum permensus iter coeptique laboris
Prendisti portus.

Sic traduntur verba in libris. Altera autem offensio in eo continetur (cf. quae exposuit HERZOG l. l. p. 18), quod negant critici coniungi posse *prendisti coepti laboris portus*, quoniam praeeunte participio eodemque servato subiecto *que* particula prorsus sit supervacanea. At videamus, quae idem Statius dicit III 5, 30 sqq. omnibus partibus compariter formata

tu me . . . iudutum Caesaris auro
Visceribus complexa tuis (scil. es) *sertisque dedisti*
Oscula anhela meis.

Et conferas velim, quae eiusdem generis contulit KOHLMANN ad Theb. VII 390

sic fatus, et omnia rite Disponit

X 271 *sic fatus et exuit ensem*

XII 773 *sic fatus, et auras*
Dissipat hasta tremens

ubi ne subiectum quidem idem est. Altera autem offensio inde orta est, quod negabant usquam inveniri *portus coepti laboris prendere* simpliciter dictum pro *finem capessere coepti laboris,* imprimis languidum esse illud *coepti.* Consulamus rursus Statium ipsum.

IV 6, 90 sqq. *non te, Tirynthie,*
Regius ambit honos, sed casta ignaraque culpae
Mens domini, cui prisca fides coeptaeque perenne
Foedus amicitiae

II 1, 70 sq. *tu domino requies portusque senectae,*
V I 186. *tu limite coepto Tende libens . .*

Et quisquam dubitabit, quin verissima sit scriptura codicum?

Finem facimus diputandi, non quia non habemus, quae in medium proferre audeamus, — in aliud tempus differenda sunt — sed quia satis hoc quod voluimus demonstrasse nobis videmur lectione assidua et posse fundamentum exstrui diiudicandi poetae et posse non pauca quae dubia videantur exemplis ex ipso Statio petitis probari et definiri. Id quoque ut opinor apparuit, quod non semper caverunt viri docti, non licere nostrum metiri modulo aliunde petito. Nam ut excellit ingenio vere poetico, ita saepius tam neglegens est in struendis verbis, ut dubites, quid tribui ei, quid non debeat. —

Cum haec imprimebantur, in manus venerunt ADRIANI quaestiones Statianae (diss. Herbipol. 1893), qui, ubi congressi sumus (I 2, 202; I 2, 231; I 5, 41; I 5, 63), easdem quas nos defendit scripturas, sed usus est interdum (I 2, 202) locis, qui non omni ex parte congruunt.

ERRATA.

pag. 6. v. 5 a fine legas: haec scribit . . . . . .

INDEX LOCORUM.

VITA.

Henricus Mueller natus sum die VII. m. Sept. a. h. s. LXIV Halbaviae, in oppidulo Silesiae, patre Henrico, quem nuperrime mihi ereptum lugeo, matre Ernestina e gente Kappel, qua superstite laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus a. LXXVIII ad gymnasium Soraviense transii discipulisque quintae classis adscriptus sum. Huius scholae cum omnibus magistris debeo gratiam, tum summam Ludovico Schulze tunc directori, cuius singulari quadam benignitate adhuc fruor. Vere a. h. s. LXXXV maturitatis testimonium adeptus Berolinum transmigravi et inter cives academicos receptus per octies senos menses operam dedi studiis liberalibus. Docuerunt me viri doctissimi Curtius, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Maass, Meyer, Mommsen, Paulsen, Robert, Roediger, Simmel, de Stein, Vahlen, Zeller. Seminarii regii sodalis ordinarius fui per ter senos menses; exercitationibus suis me admiserunt Maass, Huebner, Kirchhoff, Vahlen. Quibus viris cum omnibus tum Vahleno quantum debeam dici vix potest. Ineunte anno h. s. LXXXX examine pro facultate docendi superato gymnasio Berolinensi, quod e Luisa regina nomen traxit, adscriptus sum, ut tirocinii alterum annum degerem; anno proximo candidatus probandus fui gymnasii Leibniziani. Ab anno h. s. LXXXXIII in gymnasio eo, cui Henrici fratris nomen imposuit imperator augustissimus, praeceptoris munere fungor. —

Inde ab hieme a. h. s. LXXXVI sodalis fui societatis philologae academicae Berolinensis.